MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81627-13

AUTHOR:

STEFFEN, GEORG

TITLE:

DE CANONE QUI DICITUR ARISTOPHANIS...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1876

Master Negative #

93-81627-13

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

 Steffen, Georg. 1850-
De canone qui dicitur Aristophanis et Aristarchi.
Lipsiae 1876. O. [1], + 58 + [1] p.
Doctor's dissertation at Leipzig university.
No. 4 of ... pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/2/93 INITIALS BF
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE CANONE QUI DICITUR ARISTOPHANIS ET ARISTARCHI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GEORGIUS STEFFEN

DRESDENSIS.

LIPSIAE

TYPIS REUSCHI.

MDCCCLXXVI.

CURTIO STEFFEN

FRATRI CARISSIMO

D. D. D.

Index.

Caput I.

Caput II.

Caput III.

Epimetrum.

Corrigenda et addenda.

p. 5. adn. 4. lin. 2. a fine. comma pone ante „in libro“ et pro „Theogn.“ lege „Theogon.“

p. 10. lin. 22. pro „expartibus“ lege „ex partibus“.

p. 13. lin. 15. pro „Graesiae“ lege „Graeciae“.

p. 16. lin. 16. pro „Latiporum“ lege „Latinorum“.

p. 19. lin. 31. pro „accedent“ lege „accedant“.

p. 22. lin. 5. post „*ἀποφαίνεσθαι*“ pone signum)

p. 26. lin. 1. ante „valuisse“ insere „non“.

p. 36. lin. 2. lege „*ὀνόματά*“. — A Bekkero l. l. p. 751 nomen Alcaei omissum est.

p. 39. lin. 5. lege „mehrerer“.

p. 42. lin. 20. pro „imitandum“ lege „imitandam“.

Cap. I.

§. 1.

Optime Ptolemaeos inter omnes constat museo comparato Alexandriae conditaque bibliotheca de litteris meritos esse. Sed quamquam regum horum in actis rebusque Aegyptiacis laudibus ornandis plurimi scriptores, quos A. de Gutschmid in Philol. vol. X p. 712 sqq. (a. 1855) enumeravit, occupati erant, tamen eorum opera omnia temporum perierunt iniuria atque memoria illarum rerum apud veteres exstat persaepe variata. Bibliothecae enim Alexandrinae ne de auctore quidem scriptorum testimonia, quae collegit Beckius spec. hist. bibl. Alex. (Lips. 1779) p. VI sqq. et Meierus opusc. acad. vol. I p. 79 sqq., consentiunt ita quidem ut originem eius, quam nonnulli dicunt condidisse Ptolemaeum nullo addito cognomine, alii ad Ptolemaei Soteris regnum referant, alii ad Philadelphi, alii ad tempus id, quo filius cum patre imperium tenebat. Etsi vero Ptolemaeus Soter multos libros adiuvante Demetrio Phalereo coacervasse videtur (cf. Athan. Demetriadis *ἱστορικὸν δοκίμιον τῶν Ἀλεξανδρινῶν βιβλιοθηκῶν* Lips. 1871 p. 6 sqq.), tamen nobis tenendum est Ptolemaeum Philadelphum suo consilio rationes bibliothecae instituisse et temperasse.[1]) Hic enim

[1]) Testimonium gravissimum Ioannes Tzetza dedit, cum in prolegomenis Aristophanis fabulis affixis (ed. Keilius mus. Rhen. nov. vol. VI p. 108 sqq. et repetiit Ritschelius opusc. vol. 1 p. 199 sqq.) p. 117, 5 Keil. enarrat: „*ὁ γὰρ ῥηθεὶς βασιλεὺς Πτολεμαῖος* (i. e. Philadelphus) *ἐπεὶ διὰ Δημη-*

rex tantum abfuit, ut litterarum Graecarum monumenta, quae in omnes terrae regiones dispersa tum interitura nescio an magna ex parte fuerint, undique maximo studio impensisque regiis Alexandriam congessisse satis haberet, ut immensam librorum molem — de eorum multitudine Ritschelium l. l. p. 152 sqq. conferas — curaret digerendam. Quod ordinandi munus quantopere fuerit supra vires unius viri, facile percipi potest. Adde quod et doctrinae litterariae praesidia exigua erant [2]) et librorum, „*ψευδεπιγράφων*“ numerus, qua de re loco epimetri disputabo, haud ita parvas afferebat difficultates. Neque igitur quisquam erit, qui dubitet, quin Zenodotus qui Ptolemaeo Philadelpho regnante bibliothecae praefuisse fertur (cf. Suidam s. v. *Ζηνόδοτος*), ad copias librorum reconditorum disponendas socios sibi adiunxerit. Atqui Tzetza p. 117, 1 sqq. Keil. commemorat in operibus

---

τρίου τοῦ Φαληρέως καὶ γερουσίων ἑτέρων ἀνδρῶν δαπάναις βασιλικαῖς ἁπανταχόθεν τὰς βίβλους εἰς Ἀλεξάνδρειαν ἤθροισε, δυσὶ βιβλιοθήκαις ταύτας ἀπέθετο.“ Idem fere produnt et anonymus *περὶ κωμῳδίας* in Crameri anecd. Paris. Gr. vol. I p. 6 sq. et scholiasta Plautinus apud Ritschelium l. l. p. 5 et 124. Huius autem scholiastae narratiuncula, quam ipse „ex Caecio in commento comoediarum Aristophanis“ sese nuncupare profitetur, cum Tzetzae prolegomenis et posterioris partis quidem cum verbis ita congruit, ut cur illum grammaticum ipsa illa verba Tzetzae secutum esse negemus, nihil sit. Quae vero Cramerus habet simillima, ea utraque ex parte praefationis Tzetzianae quin conglutinata sint, cum dubitari non possit, Keilio et Ritschelio (cf. l. l. p. 218) equidem assentior recurrendum esse quae e codice Ambrosiano in lucem Keilius vocaverit, ad Tzetzae prolegomena utpote genuinum illorum fontem. Ceterum Tzetzae fides deroganda non est propterea quod Philadelphum Demetrio esse usum refert. Nam cum scriptores ecclesiastici. ubi litterarum quae sacrae dicuntur, a septuaginta viris conversarum rationes tractant. opinione falsa capti duos hos viros consociare solerent (cf. Partheyi libr. de mus. Alexandr. p. 37), is error valde vulgatus erat. Deinde duae fuerunt Alexandriae bibliothecae. Sed de Musei tantum bibliotheca infra agetur. quoniam altera. quae in Serapidis templo erat, copia et indole librorum multo sequior erat (cf. Ritschelium l. l. p. 26).

[2]) Fundamenta historiae litterarum cum aliis tum didascalion libro, quos libros spurios esse Rose de Aristot. libr. ord. et auct. p. 69 haud satis comprobavit, Aristoteles iecit. Cum autem quem ad modum inter primos Socraticos, ita inter discrepantes philosophorum sectas extemplo gravissima aemulatio intercederet atque eisdem simultatibus oratores et historici cum philosophis contenderent, etiam in res litterarias odia calumniasque transisse quis est qui miretur? Historia igitur litterarum a parvis modo profecta initiis ea ratione corruptelis depravabatur, ut inde plurimae „*ἀπορίαι*“ inextricabiles fluerent (cf. Luzaci lectt. Att. II p. 101 sqq.).

poëtarum critica arte emendandis Zenodoti adiutores fuisse Alexandrum Aetolum et Lycophronem Chalcidensem ita ut ille „*τὰς τῆς τραγῳδίας βίβλους*“, hic „*τὰς τῆς κωμῳδίας*“, „*Ζηνόδοτος δὲ τὰς Ὁμηρείους καὶ τῶν λοιπῶν ποιητῶν διορθῶσαι*“ dicatur. Quoniam vero neque Alexandri aut Lycophronis ulla fere exstat memoria curarum criticarum neque tot poëtarum editio ab istis viris parari potuit et bibliothecae conditae opes non tam emendare quam ordinare opus erat, confusa esse quae Tzetza tradat, atque ita explicanda nobis Ritschelius l. l. p. 140 sqq. persuasit, ut duos illos viros cum Zenodoto bibliothecae digerendae provincias suscepisse statuamus. Sed utrum eisdem an aliis viris cetera scriptorum genera commissa fuerint, in medio relinquitur.

Cum autem libri certum in ordinem redacti essent, eos ad catalogos revocandi munere functus est Callimachus, quode postquam quot volumina utraque bibliotheca comprehendisset, indicavit, Tzetza l. l. p. 117, 15 tradit: „*ὁ Καλλίμαχος .... τοὺς πίνακας αὐτῶν ἀπεγράψετο.*“ Neque alii esse possunt, quos Callimachi Suidas s. h. v. affert „*πίνακας τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων καὶ ὧν συνέγραψαν, ἐν βιβλίοις κ' καὶ ρ'.*“ Quibus de indicibus cum Wachsmuthius in Philol. vol. XVI p. 653 sqq. sane quam diserte accurateque exposuisset, nuper Schneiderus Callimacheorum vol. II (Lips. 1873) p. 297 sqq. rem denuo tractans a Wachsmuthio saepius sine causa discrepuit. Hoc enim Schneidero, ne longus sim, sibi Tzetza voluisse videtur indices a primis bibliothecae ordinatoribus confectos Callimachum in suos *πίνακας* transtulisse („*ἀπεγράψετο*“). Multa deinde de vitis aliaque de scriptoribus, quae nemo facile in catalogis bibliothecae aut exponat aut quaerat, illos continuisse atque horum ab indole prorsus abhorruisse Schneiderus existimavit propterea quod sicut „*πίναξ καὶ ἀναγραφὴ τῶν κατὰ χρόνους καὶ ἀπ' ἀρχῆς γενομένων διδασκάλων*“, quem poëtarum scaenicorum indicem Suidas s. v. *Καλλίμαχος* a

toto tabularum opere inepte seiunxit, sic omnes Callimachi tabulae non *κατὰ στοιχεῖον*, sed *κατὰ χρόνους* conscriptae essent. Has igitur compositas esse in usum non tam bibliothecae quam omnium hominum litteratorum Schneiderus contendit. At bibliothecae Alexandrinae catalogos etiamsi ante Callimachum factos et ab eo transscriptos esse concederemus: tamen ne hoc quidem Schneideri sententia comprobaretur. Verum enim vero siquidem nihil erat, cur Tzetza cum de rationibus exponeret bibliothecae Alexandrinae, opus huic alienissimum Callimachi laudaret, indices usui bibliothecae destinatos illo loco intellegendos esse apertum est. Praeterea eandem catalogi notionem, quam nos habemus, ad illorum temporum catalogos referre nulla cogimur necessitate. Cum enim Callimachus libri cuiusque et titulum vel titulos, si plures ferebantur, et prima initi verba et numerum *στίχων* (cf. Ritschelium l. l. p. 74 et 173 sqq.) in indicibus enotaverit aliarumque rerum enarrationem saepe adiunxerit (cf. Wachsmuthium l. l. p. 665 sq.), quid mirum si scriptorum nomina nuda non posuerit, sed historicas quasdam observationes addiderit? Denique quia tabularum pars ea, quae occurrit apud Athenaeum libr. XIV p. 643 e „*οἶδα δὲ καὶ Καλλίμαχον ἐν τῷ τῶν παντοδαπῶν συγγραμμάτων πίνακι* (i. e. index librorum mixti argumenti) *ἀναγράφοντα πλακουντοποιικὰ συγγράμματα Αἰγιμίου καὶ Ἡγησίππου καὶ Μετροβίου, ἔτι δὲ Φαίστου*“, litterarum ordine disposita est, minime quidem sequitur et alias, quas exstitisse scimus, tabulas oratorum historicorum philosophorum [3]) eadem ratione adornatas fuisse. Sed

---

[3]) Tametsi quinque tantummodo tabularum, quas diximus, memoria ad nostram aetatem pervenit, tamen plures scriptorum poëtarumque indices fuisse haud inepte putantur. Sed licentius a Schneidero (l. l. p. 310) „*πίναξ καὶ ἀναγραφὴ τῶν κατὰ χρόνους καὶ ἀπ' ἀρχῆς γενομένων ἐποποιῶν καὶ τῶν λοιπῶν ποιητῶν*“ confectus esse videtur neque comprobandus Wachsmuthi (l. l. p. 658) „*πίναξ ποιητων ἀρχαίων*“, qui e loco Etymologici M. p. 672, 27 iniuria mutato (cf. Schneiderum l. l. p. 305) formatus est. Licentissime vero Fridericus Nietzschius in mus. Rhen. nov. vol. XXIV p. 189 sqq. ficto *πίνακι ποιητῶν* indiceque poëtarum scaenicorum excusso quinque catalogos (poëtarum, oratorum, historicorum, philosophorum, librorum mixti argumenti) comparavit atque ita Callimachi *βίβλους ρ́ κ́* disposuit, ut singulis

utra lege — utrum *κατὰ χρόνους* an *κατὰ στοιχεῖα* — eas Callimachus digesserit, num Schneidero statuere licuit? Quid? Nonne Callimachus etiam libris in enumerandis rationes alias ad alia scriptorum genera adhibuit (cf. Wachsmuthium l. l. p. 662 sqq.)? Quae cum ita sint, Schneideri illud merae coniecturae figmentum flocci non facimus neque habemus cur Callimachi *πίνακας* a bibliothecae Alexandrinae catalogis fuisse diversos putemus.

Quamvis vero Callimachi opus meritissimo apud posteros honoribus esset laudibusque eximiis celebratum, tamen dubitari nequit, quin corrigendi quae per errores lapsus parum accurate tractaverat, occasiones dederit. Namque saepenumero cum fieret, ut in scriptorum recensu faciendo nemo ei praeisset, Callimachus omnia, quae incerta essent, in examen ipse primus vocaret oportebat. Atque cum in aliis scriptoribus diiudicandis, tum in oratoribus Callimachus compluries videtur peccasse, quode diserte disputantem Rehdantzium Schaeferus fecit in libr. „Demosthenes und seine Zeit“ vol. III p. 319 sqq. Quid autem quod illa in Theocrinem oratio ut inter Demosthenicas referretur, Callimachi iudicio factum est, quam non esse summi oratoris evincunt, quae in ipsa ea oratione contra Demosthenem dicuntur? (cf. Meierum l. l. p. 89). Quidni igitur hanc orationem virum illum legisse negemus? Sane omnia volumina perlegendi muneri unius hominis vires non suppetebant neque omnino id officium eius est, qui bibliothecae opes in catalogos refert. Qui igitur in bibliotheca Alexandrina custodienda succederent, Eratosthenem et Apollonium sive propriis libris [4]) sive ipsis in indicibus errores Callimachi emendare studuisse haud incommode licet opinari. Imprimis vero Aristophanes Byzantius, quem bibliothecae copias sedulo perscrutatum esse ex verbis appa-

---

catalogis libros vicenos quaternos (*Α-Ω*) tribueret. Quo quid audacius cogitari potest?

[4]) A rebus litterariis illi viri non abstinuerunt: laudatur Eratosthenis liber *περὶ κωμῳδίας* saepius (cf. Meineki hist. crit. com. gr. p. 11) atque Apollonium de poëtarum graecorum memoria vetustorumque indole et condicione uberius commentatum esse Muetzellius, cui assensus est Ritschelius l. l. p. 142 et parerg. Plaut. p. 620 in libr. de emend. Theogn. Hesiod. p. 288 probabiliter demonstravit.

ret schol. Aristoph. Nub. 967 „τηλέπορόν τι βόημα· καὶ τοῦτο μέλους ἀρχή· φασὶ δὲ μὴ εὑρίσκεσθαι ὅτου ποτ' ἔστιν. ἐν γὰρ ἀποσπάσματι ἐν τῇ βιβλιοθήκῃ εὑρεῖν Ἀριστοφάνη“, menda tollendi provinciam suscepisse et ad eam rationem libros, quos conscripsit πρὸς τοὺς Καλλιμάχου πίνακας (cf. Athen. IX p. 408 f.), videtur direxisse. Quod opus quamquam commentarium et quasi supplementum in Callimachi tabulas scriptum declaraverunt cum alii tum Nauckius de Aristoph. Byz. fragm. p. 243 sqq., tamen equidem cum Prellero (de Polem. fragm. p. 22) et Volkmanno (de Suid. biogr. p. 26) ἀντιγραφὴν esse malo. Hoc enim ad scribendi genus simillimi libri et Callimachi ipsius πρὸς Πραξιφάνην (cf. Westerm. biogr. p. 54) et Apolloni Rhodii πρὸς Ζηνόδοτον et Callistrati „πρὸς τὰς ἀθετήσεις“ et Aristarchi „πρὸς τὸ Ξένωνος παράδοξον“ (cf. ind. schol. Iliad. Bekk. s. hh. vv.) pertinent. Ceteroquin quominus eodem opere Aristophanes Callimachi indices suppleret et narratiunculas augeret, nihil obstabat.

Cum autem id πινάκων genus ab his viris inchoatum excultumque esset, non modo quoquoversus illud dilatum est, sed etiam numquam fere ei, qui bibliothecis postea conditis praeerant, conficiendorum catalogorum labores non obisse videntur, velut Pergami Crates ceterique grammatici (cf. Wachsmuthium de Cratete Mallota p. 33) τοὺς Περγαμηνοὺς πίνακας composuerunt. Bibliothecarum autem ei indices in usum communem descripti et propagati auctoritate pollebant plurimum ita ut homines aetate inferiores ad eos quasi fontes rerum litterariarum confugere solerent (cf. Dionys. Hal. de Din. iud. c. 1 p. 630 R. „ἅμα δὲ ὁρῶν οὐδὲν ἀκριβὲς οὔτε Καλλίμαχον οὔτε τοὺς ἐκ Περγάμου γραμματικοὺς περὶ αὐτοῦ γράψαντας“ e. q. s. et Athen. VIII p. 336 e „οὔτε γὰρ Καλλίμαχος οὔτε Ἀριστοφάνης αὐτὸ ἀνέγραψαν, ἀλλ' οὐδ' οἱ τὰς ἐν Περγάμῳ ἀναγραφὰς ποιησάμενοι“). Sed privatarum quoque bibliothecarum catalogos in omnium usu fuisse conficitur ex verbis Plutarchi vit. Sull. c. 26. Andronicum enim Rhodium, qui bibliothecam voluminibus Aristoteleis et Theophrasteis refertissimam ordinasset, „εἰς μέσον θεῖναι καὶ ἀναγράψαι τοὺς ν ῦ ν φ ε ρ ο μ έ ν ο υ ς πίνακας“ Plutarchus memoriae tradidit. Factum autem esse ut tales indices, quales diximus, diversissimis consiliis

mutarentur, contraherentur, amplificarentur ex eisque enchiridia quasi historiae litterarum efficerentur, nihil est cur miremur. Scripsit auctore Strabone XVI p. 757 Apollonius Thyrius πίνακα τῶν ἀπὸ Ζήνωνος φιλοσόφων καὶ τῶν βιβλίων atque Lucilium Seneca epist. 4, 10, 2 admonet, ut „sumat in manus indicem philosophorum“. Laudantur apud Dionysium Hal. epist. I ad Amm. c. 4. p. 725 R. „οἱ τοὺς ῥητορικοὺς πίνακας συντάξαντες“, nisi forte eosdem illos grammaticos Alexandrinos vel Pergamenos dicit. Item quod „οἱ τοὺς πίνακας ποιήσαντες“ librum quendam Hippocratis ignorassent, eum Galenus vol. XVIII, 1, p. 379 Kühn. putavit subditum. Neque poëtarum tabulae deerant. Plautinarum enim fabularum indices Aelium, Sedigitum, Claudium, Aurelium — cuius πίναξ a Suetonio de gramm. c. 6 citatur — Accium, Manilium confecisse Gellius prodit noctt. Att. libr. III, 3, 1. Hos vero inter scriptores, qui πινακογράφοι vocabantur (cf. Stephan. Byzant. s. v. Ἄβδηρα et Αἶνος), Hesychi Milesii opus et ambitu et gravitate eminuisse videtur, ita ut is qui „ἔγραψεν ὀνοματολόγον ἢ πίνακα τῶν ἐν παιδείᾳ λαμψάντων“ (cf. Suid. s. h. v.), Suidae in litteris graecis unicus fere auctor esset. [5])

Ampliores autem bibliothecas cum veteres hunc in modum comparasse, ut egregiorum scriptorum volumina a reliquis seiungerent, ex Suetonio compererimus (cf. vit. Tib. c. 70: „Tiberius... fecit graeca poëmata imitatus Euphorionem et Rhianum et Parthenium, quibus poëtis admodum delectatus scripta omnium et imagines publicis bibliothecis inter veteres et praecipuos auctores dedicavit“), peculiares quoque horum librorum separatorum catalogos fuisse equi-

[5]) cf. Wachsmuthium, symb. philol. Bonn. p. 138. — Superstitem Hesychi libellum — edidit Müllerus hist. gr. fragm. vol. IV p. 155 sqq. — recentissimis temporibus ex verbis Suidae et Laërti Diogenis misere conflatum esse alii existimaverunt, duxerunt alii epitomen operis Hesychiani (cf. Schneiderum l. l. p. 24 sqq.). Ipse autem Hesychius ab Hermippo Berytio, qui περὶ τῶν διαπρεψάντων ἐν παιδείᾳ δούλων scripsit, magnam in partem pendet, atque huius Berytii, non Hermippi Callimachei opus illud „περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ λαμψάντων“ est, cuius mentionem auctor Etymol. Magni p. 118, 11 fecit (cf. Mülleri fragment. hist. graec. vol. III, p. 35 et Wachsmuthium l. l p. 143 adn.).

dem contendere ausim. Quod vero ab eis, quibus quaestiones graviores erant habendae aut quibus tabulae pinacographicae praesto non erant, bibliothecae frequentari numquam desitae sunt, [6] peculiares illos indices esse vulgatos nonne credibile est? Huc *πίνακα τῶν δέκα ῥητόρων*, quode Studemundus in Herm. vol. II p. 434 sqq. elegantissime disseruit, revocare non dubito. Cum enim genuina illius forma ea esset, ut oratorum qui plurimas orationes scripsit, primo loco referretur et hac ratione deinceps reliqui ordinarentur, animi coniectura colligere possumus *πίνακα* ex bibliotheca esse sumptum. Quod deinde in forulis delectorum scriptorum libros spurios esse collocatos verisimile non est, quaenam Hippocratis opera Galenus de dysp. vol. VII p. 855 Kühn „*τὰ ἐκ τοῦ μικροῦ πινακιδίου*" dixerit, facile explanari potest: fuisse equidem puto ea minoris indicis illo modo in usum bibliothecae instituti. —

§. 2.

Sed iam tempus est de indole tabulae scriptorum disputare, quam e tenebris codicis Coisliniani Montfoconius biblioth. Coislinian. p. 596 sqq. protulit et Fabricius biblioth. gr. vol. IX p. 599 sqq. (Hamb. 1737) descripsit. Sunt tabulae verba haec:

§. 1. *Ἐξεῦρον τὴν μὲν ἀριθμητικὴν Φοίνικες, τὴν μουσικὴν Θρᾶκες, τὴν δὲ ἀστρολογίαν Χαλδαῖοι.*

§. 2. *Ποιηταὶ πέντε. Ὅμηρος, Ἡσίοδος, Πείσανδρος, Πανύασις, Ἀντίμαχος.*

§. 3. *Ἰαμβικοὶ τρεῖς. Σιμωνίδης, Ἀρχίλοχος, Ἱππῶναξ.*

§. 4. *Τραγῳδοποιοὶ ε´.* (sequuntur quinque nomina)

§. 5. *Κωμῳδοποιοὶ ἀρχαίας ζ´* (sequ. sex „)

§. 6. *μέσης κωμῳδίας β´* (sequuntur duo nomina)

§. 7. *νέας κωμῳδίας ε´* („ quinque „)

§. 8. *Ἐλεγειοποιηταὶ δ´* (sequuntur quattuor „)

§. 9. *Λυρικοὶ θ´* („ novem „)

§. 10. *ῥήτορες θ´* („ „ „)

§. 11. *ἱστορικοὶ ι´* (sequuntur decem historici, quorum ultimus Polybius).

§. 12. *περὶ ποιητῶν, ὅσοι διὰ στίχων καὶ ἰάμβων ἔφρασαν* (poëtae generum diversissimorum enumerantur, qui magnam in partem antea notati erant).

§. 13. *ὅσοι γραμματικοὶ* (postremo loco Timotheus Gazaeus positus est).

§. 14. *ὅσοι περὶ ὀρθογραφίας* (postremo loco Choeroboscus positus est).

§. 15. *ὅσοι περὶ διχρόνων* (in eis Oros bis profertur).

§. 16. *ὅσοι (περὶ) ἐθνικῶν Ὠρίων Θηβαῖος* e. q. s.

§. 17. *πίναξ τῶν ἐν ἰατρικῇ διαπρεψάντων* e. q. s.

§. 18. *οἱ τούτων ὑπομνηματισταί* e. q, s.

§. 19. *ἐν δὲ φιλοσοφίᾳ ἔπρεψαν* e. q. s.

§. 20. *ὀνόματα ιβ´ θεῶν Ζεύς, Ποσειδῶν* e. q. s.

Hanc tabulam Coisl. duabus ex partibus diversissimis compositam esse luce clarius est. Namque ut praeteream quod altera ab altera distat ratione indoleque titulorum paragraphorum, quid quod prior pars nullum scriptorem Polybio aetate inferiorem continet, posterior autem vel recentissimos complectitur et multos poëtas in priore propositos denuo affert? Sed tabula, quam e codice Bodleiano Cramerus anecd. graec. Paris. vol. IV p. 197 sqq. petiit, ecce simillima:

§. I. *περὶ ποιητῶν, ὁ. π. στ. κ. ἰ.* (eadem fere habet §. 12 tab. Coisl.).

§. II. *ὅσοι περὶ γραμμάτων* (= §. 13 tab. Coisl., ubi nominum numerus maior.).

§. III. *πίναξ τῶν ἐν ῥητορικοῖς διαπρεψάντων* (deest in tabula Coisl.).

§. IV. *ὅσοι γραφεῖς ἤτουν ἱστορικοὶ* (deest in tabula Coisl.).

[6]) In generibus scriptorum percensendis Quintilianus inst. orat. libr. X, 1, 57 et 104 litterarum cupidiores ipsas bibliothecas excutere iussit atque Suidas sese armaria bibliothecarum adisse et perlustrasse his verbis testatur: s. v. *Δαμόφιλος* „*γράψας πάμπολλα, ἐξ ὧν ταῦτά μοι εὕρηκα ἐπὶ ταῖς βιβλίων θήκαις*" (cf. v. *Σέλευκος Ἐπίσημος*).

§. V. πίναξ τῶν ἐν ἰατρικῇ διαπρεψάντων (= §. 17, ubi numerus nominum maior.).

§. VI. ἐν δὲ φιλοσοφίᾳ διέπρεψαν e. q. s. (= §. 19, ubi numerus nominum maior.).

§. VII. ἐξεῦρον μὲν τὴν ἀριθμητικὴν e. q. s. (= §. 1, sed in tab. Bodl. nonnulla adduntur).

§. VIII περὶ ποιητῶν (= §. 2, sed tab. Bodl. non habet Panyasim).

§. IX. οἱ ἰαμβοποιοὶ γ' (= §. 3).

§. X. μέσης κωμῳδίας β' (= §. 6).

§. XI. νέας (κωμῳδίας) (= §. 7, sed in tab. Bodl. Apollodorus omissus est).

§. XII. τραγῳδοποιοί (= §. 4).

§. XIII. κωμῳδοποιοὶ ἀρχαίας ζ' (= §. 5, sed in tab. Bodl. Crates additur).

§. XIV. ῥήτορες ι' (= §. 10, sed in tab. Bodl. Dinarchus adicitur).

§. XV. ἐλεγείων ποιηταί (= §. 8).

§. XVI. λυρικοί (= §. 9).

§. XVII. ἱστορικοί (= §. 11).

Quae contemplatis nobis quid potest esse tam apertum tamque manifestum quam etiam tabulam Bodleianam duabus expartibus constare et ita quidem ut posterior (§§. VII—XVII) ad particulam tabulae Coisl. priorem (§§. 1—11) atque eiusdem ad alteram (§§. 12—20) prior pars tabulae Bodl. (§§. I—VI) proxime accedant? Cum vero nonnullis locis paululum inter se duae tabulae differant neque alterum scriptorem ab altero verba mutuatum esse comparatis narratiuncalis conficiatur, sequitur utramque tabulam ex uno et eodem fonte profluxisse. Qui qualis fuerit, facile est cognitu. Dubitari enim nequit, quin duorum indicum, qui postquam unam in chartam sive consulto sive fortuito congesti sunt, a scriptoribus tabb. Coisl. et Bodl. ad codicum membranas complendas, ut videtur, sunt adhibiti, alter (§§. 12—20 et §§. I—XVI) ad auctoritatem pinacographi aut bibliothecae catalogi — librorum separatorum indicis peculiaris? — referendus sit. Id vel verba indicant „πίναξ τῶν ἐν ἰατρικῇ διαπρεψάντων“ (cf. §§. 7 et V) et „πίναξ τῶν ἐν ῥητορικοῖς διαπρεψάντων“ (cf. §. III). Indidem igitur alterum quoque indicem, ad quem paragraphi 2 usque ad 11 et paragraphi VII usque ad XVII pertineant, originem duxisse suspicari licet, nisi nonnulla, qua de re infra (cf. adn. 20) exponam, ex Procli opere χρηστομαθίᾳ γραμματικῇ aut e Didymo manaverunt. Sed haec hactenus!

Cap. II.

§. 1.

Rerum natura longius aberrare coactus eo revertor, unde profectus sum, ad Aristophanem Byzantium. Nam de litteris praeterquam quod libris *πρὸς τοὺς Καλλιμάχου πίνακας* meritus est, alia quoque re eximias laudes, quae et ipsi Aristophani et Aristarcho eius discipulo attribuuntur, sibi peperisse perhibetur. Etenim Ruhnkenius postquam in commentatione celeberrima de hist. crit. orat. graec. (cf. opusc. vol. I p. 385 sqq. ed. Bergm. Lugd. Bat. 1823) exposuit per omnes oratores et poëtas antiquissimos magistros in arte illustranda rhetorica vagatos esse atque quid in quoque rectum et pulchrum reperissent, laudasse et ad imitandum proposuisse, hanc grammaticorum rationem his verbis enuntiat commutatam esse: „Exorti enim, inquit, duo summo ingenio et singulari doctrina critici, Aristarchus et Aristophanes Byzantius, qui cum animadvertissent ingentem scriptorum turbam plus obesse bonis litteris quam prodesse, suum iudicium secuti certum omnis generis scriptorum delectum haberent.“ Cum igitur censu scriptorum acto ordines praestantissimorum poëtarum heroïcorum, iambographorum, elegiacorum, lyricorum, tragicorum, comicorum et oratorum et historicorum instituti essent, hos „quasi in canonem [7]) receptos“ Ruhnkenius affirmavit tantum auctoritate

[7]) *Κανών* vox, cuius propria est notio normae fabrorum, translata quamlibet significat regulam. Itaque praeceptum quoque denotat, quo via artis vel disciplinae colendae datur, velut regulae grammaticae, ad quas locutio

valuisse, ut prope soli vigerent hominumque studia tenerent, alios autem scriptores inferiores imitationeque indignos non esse descriptos et tandem intercidisse.

Haec quamvis nova Ruhnkenius ita protulit, ut quippe qui certissimis argumentis ea assecutus esse videretur, ei assentirentur plurimi virorum doctorum. Ut enim alios omittam, Heynius in disputatione de genio saec. Ptolem. (cf. opusc. I p. 102) et Fridericus Augustus Wolfius sententiam Ruhnkeni comprobaverunt. „Unus ille delectus, ait Wolfius prol. ad Hom. p. CXC (cf. p. CCLVIII), classicorum scriptorum et in quoque genere principum, quem libr. X Quintilianus et quodam modo tota antiquitas sequitur, omnium saeculorum studia et librariorum manus direxit ad id, quod optimum erat in infinita copia. Absque illo delectu esset, profecto nos non haec monumenta antiquioris Graesiae et haud scio an minus praestantia haberemus.“ Item in eis libris, qui ex scholis, quas Wolfius habuit, compositi inscribuntur „Encyclopaedie der Alterthumswissenschaft“ (ed. Gürtler. Lips. 1831 p. 19) et „Darstellung der Alterthumswissenschaft (ed. Hoffmann. Lips. 1833 p. 13), hac ipsa censura Aristophanis et Aristarchi scriptores classicos nobis esse servatos Wolfius edocere perseveravit. Tum Wyttenbachius „vit. Ruhnkeni“

dirigatur oportet, dicuntur *κανόνες*. Hac de re copiose auctor Etymologici Magni p. 489, 29 Gaisf. explicat: „*εἴρηται κανὼν ἀπὸ τοῦ τεκτικοῦ κανόνος· ὥσπερ γὰρ ὁ τέκτων κέχρηται κανόνι διὰ τὸ ἐπανορθοῦσθαι τὸ ἀποτελούμενον, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ἡμεῖς κεχρήμεθα τῷ κανόνι διὰ τὸ ἐπανορθοῦσθαι τὰς λέξεις.*“ Atque similia in Bekkeri anecd. graec. vol. III p. 1180 reperiuntur: „*κανών ἐστι λόγος ἔντεχνος ἀπευθύνων ὁμοιότητα πρὸς τὸ καθόλου τὸ διεστραμμένον τῆς λέξεως. τουτέστι λόγος μετὰ τέχνης διὰ τῶν ὁμοίων ἐπ' εὐθείας ἄγων ἢ ἐλέγχων πρὸς τὰ πλείονα τὸ διεστραμμένον καὶ ἡμαρτημένον τῆς λέξεως· τὰ γὰρ πλείονα τῶν ἐλαττόνων κανόνες.*“ Inscribitur igitur Theodosi libellus grammaticus, quem edidit Bekkerus l. l. p. 975 sqq., „*εἰσαγωγικοὶ κανόνες.*“ Saepissime autem hac voce Dionysius Halicarnassensis usus est: de Lys. iud c. 24 p. 500 R. praecepta artis rhetoricae „*οἱ κανόνες οἱ τῶν τεχνῶν*“ dicuntur; epist. ad Cn. Pomp. c. 3 p. 775 R. „*Ἡρόδοτός τε γὰρ τῆς Ἰάδος ἄριστος κανών. Θουκυδίδης τε τῆς Ἀτθίδος*“ perhibentur; de Thucyd. c. 2 p. 813 R. appellatur Thucydides „*κανὼν τῆς ἱστορικῆς πραγματείας.*“ Item temporum definiendorum normae vocantur *κανόνες* (cf. Dionys. Hal. antt. Rom. I, 74 p. 187 R. et Plut. vit. Sol. c. 24)

p. 144 sqq. doctoris amicique opinionem laudibus satis exornavit atque postea cum alii tum Schoellius hist. litt. graec. vol. II p. 107 sqq. (ed. Pind.) et scriptores rerum Alexandrinarum recentiores Partheyus l. l. p. 122 sqq., Klippelus de mus. Alex. p. 317 sqq., Matterus libr. „essai hist. sur l'école d'Alex." vol. III p. 139 sqq. (Paris. 1844) eam vulgaverunt. Itaque factum esse, ut tamquam de re *αὐθεντικῶς* tradita disputaretur de canone Alexandrino, quis est, qui miretur?

Quamquam non defuerunt, qui repugnarent. Primus enim ex omnibus postquam in libro „Wissenschaftliche Syntax der griech. Sprache (p. 31 adn. 55 Berol. 1829) oblocutus est, Bernhardyus illam sententiam in hist. litt. graec.[3] vol. I p. 184 sqq. accurato examini subiecit et diluere studuit. Post Bernhardyum Ferdinandus Rankius in comment. de Aristophanis vita p. CIV sqq., quae editioni Aristophanis Thierschianae (Lips. 1830) praemissa est, enixe elaboravit, ut Ruhnkenium in errorem abisse ostenderet. Deinde Nauckius de Arist. Byzant. fragm. p. 67 sq. canonis Alexandrini vix umbram nos habere antiquitatis fide suffultam contendit. Neque horum virorum ad opinionem Nicolaius hist. litt. graec. p. 237 accedere dubitavit.

et Eusebi „*χρονικοὶ κανόνες*" ab Hieronymo in Latinum conversi exstant. Deinde in Arati carmine, cui titulus erat „*κανών*", de sonorum musicorum designatione et de sphaerarum concentu et fortasse de motu illarum actum fuisse Boeckhius exposuit in indice lectt. Berol. a. 1826 (cf. opusc. acad. vol. IV p. 301 sqq.) Epicurus porro librum „*περὶ κριτηρίου ἢ κανών*", quo leges veri cognoscendi proposuit quemque Cicero de deor. nat. I, 16. 43 „de regula et iudicio" dixit, teste Laërtio Diogene X, 28 sq. conscripsit. Ionem autem philosophum quendam, ut profert Lucianus conv. 7 p. 423 Reitz., „*κανόνα οἱ πολλοὶ ὀνομάζουσιν εἰς τὴν ὀρθότητα τῆς γνώμης ἀποβλέποντες*". Quoto vero cuique Polycleti *κανὼν* ignotus est! Tradit Galenus de placit. Hipp. et Plat. libr. V (vol. V p. 449 Kuehn.) haec: . . . . „*καθάπερ ἐν τῷ Πολυκλείτου κανόνι γέγραπται. πάσας γὰρ ἐκδιδάξας ἡμᾶς ἐν ἐκείνῳ τῷ συγγράμματι τὰς συμμετρίας τοῦ σώματος ὁ Πολύκλειτος, ἔργῳ τὸν λόγον ἐκβεβαίωσε, δημιουργήσας ἀνδριάντα κατὰ τὰ τοῦ λόγου προστάγματα καὶ καλέσας δὴ καὶ αὐτὸν τὸν ἀνδριάντα, καθάπερ καὶ τὸ σύγγραμμα κανόνα.*" (cf. Overbecki libr. „Die antiken Schriftquellen zur Geschichte der bild. Künste b. d. Griechen" p. 170 sqq.). Neque alia ratione apud Christianos primos fidei

Perperam vero Graefenhanius in libr. „Geschichte der klassischen Philologie" vol. II p. 188 sqq., cum non tam negaret talem, qualem Ruhnkenius putavit, canonem ab Aristophane et Aristarcho propositum esse, quam eum apud posteros haud ita multum voluisse existimaret, controversias componere conatus est.

Relinquitur eorum ratio, qui cum Diderico Volkmanno de Suid. biogr. p. 26 sqq. (Bonn. 1861) scriptorum censuram efficacissimam a Callimacho habitam esse arbitrati sunt.

Quae cum ita se habeant, quid de hoc canone Alexandrinorum sit sentiendum, diligenter quaerere operae pretium est.

§. 2.

Iam fidem, ne in dubia et incerta delabamur, testimoniorum excutere liceat, quae veteres de hac re dicant. Quid? Tanti operis memoriam nonne per omnium ora ferri idque decorasse summis laudibus Aristophanis et Aristarchi discipulos opineris? Sane amplissima erat, id quod inter omnes constat, illorum virorum auctoritas atque Aristarchi *παράδοσις* a posterioribus ita servabatur, ut in ea pio animo colenda ineptiis non abstinerent. Nam-

regula, quae auctore Clemente strom. 6, 15 p. 803 erat *ἡ συνῳδία καὶ ἡ συμφωνία νόμου τε καὶ προφητῶν τῇ κατὰ τὴν κυρίου παρουσίαν παραδεδομένη διαθήκῃ* (i. e. consensus veteris et novi testamenti), vocabatur *κανὼν ἐκκλησιαστικός*. Aliquanto vero postea scriptores ecclesiastici sacrorum librorum catalogum, qui saeculis post Christum natum primis definitus non erat, *κανόνα* appellabant, qua de re Crednerus libr. „Geschichte des neutestam. Kanon" (Berol. 1860) p. 98 haec dicit: „Die unter den Christen der ersten Jahrhunderte überhaupt in Umlauf gekommenen Schriften führten die allgemeine, jedes weitere Urtheil ausschliessende Bezeichnung *γραφαὶ φερόμεναι*. (p. 103). Nachher aber wurden alle diejenigen Schriften, welche als echte Bestandtheile des alten und neuen Testamentes galten und als solche allein massgebend für die katholische Kirche waren, Kanon genannt, ein Ausdruck, der so gebraucht gleich nach der Mitte des 4. Jahrhunderts und zwar als etwas schon bekanntes vorkommt. So nemlich zuerst in der nach 360 geschriebenen epistola festalis des Athanasius." Contra apud scriptores veteres *κανὼν* semper est norma vel regula neque unquam ea vox, si libri titulus fertur, ita usurpata est, ut vis inesset catalogi. Illo igitur vocabu-

que asseverat scholiasta ad Iliad. libr. III v. 235 Bekk., cum dicit: „*καὶ μᾶλλον πειστέον Ἀριστάρχῳ ἢ τῷ Ἑρμαππίῳ, εἰ καὶ δοκεῖ ἀληθεύειν*“ (cf. schol. ad Il. I, 572 et II, 136). Ergo si ei grammatici scriptorum de vita aut nece iudicassent, futurum fuisse ut quanti quemque aestimassent, saepenumero commemoraretur, nemo est, qui non suspicetur. At vero nulla sunt nisi infirmissima huius rei signa! Quin etiam si unicum huius rei testimonium abesset, vereor ne totum canonem perpetua oblivione vetustas obruerit. Quo quid mirabilius cogitari potest? Etenim ex omnibus scriptoribus, quotquot ad nostram pervenerunt aetatem, solum testem Ruhnkenius, ut sententiam suam confirmaret, Quintilianum producere potuit. Quocirca de hoc accuratius agendum erit.

Quintilianus postquam institutionum oratoriarum inde ab libro octavo de elocutione disseruit, omnia loquendi praecepta satis ad vim dicendi non valere initio libri decimi declarat, nisi eis firma quaedam facilitas vel ἕξις Graecorum accesserit. Haec autem cum e copia verborum, quae optima quaeque legendo audiendoque efficiatur, emanet, non solum poëtis verum operam dari etiam historicis et philosophis oportere. Itaque summatim quid a quaque lectione petere possint, qui confirmare dicendi facultatem velint, sese persecuturum esse pollicitus Quintilianus l. l. X, 1, 44 sqq. praestantissimos scriptores, quippe cum optimis assuescendum et multa magis, quam multorum lectione ducendum esse colorem recte sibi persuaserit, primum Graecorum deinde Latiporum diiudicat. Poëtis igitur epicis tractatis „Apollonius in ordinem, inquit (l. l. X, 1, 54), a grammaticis datum non venit, quia A r i s t a r c h u s a t q u e A r i s t o p h a n e s p o ë t a r u m i u d i c e s neminem sui temporis i n n u m e r u m r e d e g e r u n t.“ Atque paulo postea (X, 1, 59) „e x t r i b u s r e c e p t i s, ait, A r i s t a r c h i i u d i c i o scriptoribus iamborum ad ἕξιν pertinebit unus Archilochus.“ His verbis nisus est Ruhnkenius. Ipsa vero illa verba „poëtarum iudices“, quae in editionibus Spaldingi, Bonnelli, aliorum exstant, delenda sunt. Nam cum alii

lo, quod ipse Cicero epist. ad fam. XVI, 17 adhibuit: „Tiro, qui *κανὼν* esse meorum scriptorum soles“, quotiescumque infra utemur. nil nisi normam intellegi volumus.

codices tum Bambergensis M, IV, 4 qui in eis sermonis Quintilianei partibus, quae et in codice Ambrosiano 133 et Bernensi 351 desunt, longe optimus habendus est (cf. Halmium in „Sitzungsberichte der Academie der Wissenschaften zu München“ vol. I, p. 514 sqq. et praef. edit. Quintil. p. VIII), non „poëtarum iudices“, sed „poëtarum iudicium“ exhibent. Haec autem verba cum languidioris appositionis speciem prae se ferant, Osannus in adnott. critt. in Quintil. instt. oratt. libr. X (Giessae 1850) p. 8 sq. glossema [8]) esse ex verbis, quae sequuntur, „Aristarchi iudicio“ petitum recte cognovit atque Halmius in editione sua optimo iure prorsus omisit.

Attamen non ideo minus stat loci illius gravitas neque quae ad sententiam sustentandam in testimonium Ruhnkenius vocavit, Quintiliani alia verba tolluntur: (libr. I, 4, 3) „... iudicio... ita severe sunt usi veteres grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare et libros, qui falso viderentur inscripti, tamquam subditos summovere familia permiserint sibi, sed auctores alios i n o r d i n e m r e d e g e r i n t, alios o m n i n o e x e m e r i n t n u m e r o.“

Esse his locis „in numerum redigere“ vel „in ordinem redigere“ et „numero eximere“ Ruhnkenius affirmavit locutiones latinas pro graecis „*ἐγκρίνειν*“ et „*ἐκκρίνειν*“. Hoc enim, ut e numero septem sapientium Periandrum esse remotum narraret, usum esse Diodorum (libr. IX, 6 Dind. „*Μούσωνα ἀντεισῆξαν εἰς τοὺς σοφοὺς ἐκκρίναντες τὸν Περίανδρον τὸν Κορίνθιον διὰ τὸ τύραννον γεγονέναι πικρόν*“), illam autem *ἐγκρίνειν* vocem saepissime de eis scriptoribus, qui ad imitandum quasi canonici proponerentur, usurpari velut a Suida s. v. *Δείναρχος*· „*ῥήτωρ τῶν μετὰ Δημοσθένους ἐγκριθέντων εἷς*“. Contra Wowerium virum doctissimum, quod Polymath. c. XVI (cf. Graevi thesaur. vol. X p. 1067) Quintiliani locum ita accepisset, ut „in ordinem redigere“ significaret „inter viles abicere“ et „numero

[8]) Simillimum glossema „laus Ciceronis“ aliquanto post (X, 1, 109) in codice Bambergensi ipsi sermoni insertum est, quod codicis Bernensis additur in margine. Earum adnotationum quae ad argumentum sermonis spectant, exempla plura Osannus l. l. posuit.

eximere“ idem esset atque „ex inferiore loco in superiorem restituere“, Ruhnkenius gravissime vituperavit. Sed illius sententiam esse perversam ut negem, graves causae me impellunt. Quintilianus enim alio loco (X, 1, 74) in laudem haec dixit: „Philistus quoque meretur, qui turbae quamvis bonorum post eos auctorum eximatur“. Deinde apud scriptores latinitatis, quae dicitur, argenteae „in ordinem redigere“ idem, quod „in ordinem cogere“ i. e. „in ordinem gregariorum militum cogere“, haud raro valet: exemplum apud Suetonium habes hoc (vit. Vespasian. c. 15) „Helvidio Prisco [Vespasianus] non ante succensuit, quam altercationibus insolentissimis paene in ordinem redactus“ itemque L. Annaeus Seneca consol. ad Helv. matr. XIII, 3 „Socrates, ait, eodem illo voltu quo triginta tyrannos solus aliquando in ordinem redegerat, carcerem intravit“ neque aliter explicari possunt Plini (epist. 2, 6, 5) verba „gula reprimenda, gula quasi in ordinem redigenda est“. Sic Priscianus institutt. gramm. libr. XVIII (gramm. latt. vol. III p. 293 Keil.) Livi quidem locum falso laudans, sed recte monens de re explicat: „in ordinem redactus est, hoc est inter viles et abiectos connumeratus.“ [9]) Itaque nihil obstare mihi videtur, quominus Quintiliani locum cum Wowerio ita interpretemur, ut in verbis „in ordinem redigere“ sententiam contumeliosam inesse, verbis autem „numero eximere“ summas laudes notari intellegamus.

Alii explicationi, quae a probabilitate prorsus nescio an non abhorruerit, Spaldingius (cf. adn. h. l.) sese diu propensum fuisse profitetur. Vocabulo enim „omnino“ nisus, an „redigere in ordinem“ de contumelia definiendum esset, gravior autem praecedenti iniuria designaretur verbis „omnino numero eximere“, non temere dubitaverat neque cur in Ruhnkeni castra transiret, Spaldingius habuit.

Sed Woweri sententiam ut nos sequamur, ipso illo Quintiliani loco (X, 1, 74) „Philistus.... turbae... auctorum eximatur“, quo loco „eximere“ est „amplissimo honore ornare“, non possumus non

---

[9]) cf. Fest. p. 182 Müll. „Ordinarium hominem Oppius ait dici solitum scurram et improbum.“

adduci. At utcumque se res habet, hoc negari nequit Quintilianum narrare a veteribus grammaticis delectum aliquem scriptorum habitum esse. Quaeritur igitur, qualis is fuerit census.

Proinde diligentius intueamur Quintiliani (I, 4, 1 sqq.) haec verba: „Primus in eo, qui scribendi legendique adeptus erit facultatem, grammaticis est locus. Nec refert de Graeco an de Latino loquar, quamquam Graecum esse priorem placet. Utrique eadem via est. Haec igitur professio cum brevissime in duas partes dividatur, recte loquendi scientiam et poëtarum enarrationem, plus habet in recessu quam fronte promittat. Nam et scribendi ratio coniuncta cum loquendo est et enarrationem praecedit emendata lectio et mixtum his omnibus iudicium est; quo quidem ita severe sunt usi veteres grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare et libros, qui falso viderentur inscripti, tamquam subditos summovere familia permiserint sibi, sed auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero.“

Qui hoc loco auctores intellegendi sint, manifeste apparet ex verbis „versus notare“ et ex eis, quae addit: „Nec poëtas legisse satis est; excutiendum omne scriptorum genus non propter historias modo, sed verba quae frequenter ius ab auctoribus sumunt.“ His dictis quid liquidius? Nam quis est, qui dubitet quin eis „auctoribus“, quorum delectum factum esse narrat, scriptores orationis solutae verbis „nec poëtas e. q. s.“ Quintilianus opposuerit ideoque poëtas illo loco designaverit? Atque cum pergit addere: „tum neque citra musicen grammatica potest esse perfecta.... nec si rationem siderum ignoret, poëtas intellegat... nec ignara philosophiae“, genuinum ad munus grammatici non solum studium librorum, qui prosa oratione conscripti sint, verum etiam studia musicae, astronomiae, philosophiae quasi subsiciva accedent oportere Quintilianus edocet. Quocirca si minus omnium scriptorum, at poëtarum delectum veteres grammaticos instituisse ex Quintiliani verbis effici potest. Verum enim vero cum veteres grammatici alii hoc loco intellegi nequeant atque Alexandrini — notissima est eorum „censoria virgula“ sive ὀβελός —, ea grammaticae definitio quam in schola Aristarchea valuisse probabi-

liter Lehrsius comm. de vocabb. *φιλόλογος, γραμματικός, κριτικὸς* p. 387 (subiec. Herodiani script. III min.) demonstravit, interpretationi nostrae optime convenit. Erat grammatica tunc ars interpretandi poëtas [10]) neque eis temporibus quibus incrementa cepit, in libris prosa oratione scriptis [11]) nisi tralaticium usum habebat. „Grammatica enim, ait Quintilianus II, 1, 4, est ab hac appellationis suae paupertate, infra quam primi illi constitere, provecta; nam tenuis a fonte assumptis historicorum criticorumque viribus pleno iam satis alveo fluit, cum praeter rationem recte loquendi non parum alioqui copiosam prope omnium maximarum artium scientiam amplexa sit.“ Quin etiam Quintilianus cum qua lectione pueros grammaticus imbuat, praecepta dat (I, 8, 1 sqq.), tantum abest, ut libros orationis pedestris commendet, ut poëtarum carmina aptissima epicorum et lyricorum et scaenicorum eligi iubeat!

Quae cum ita sint, in qua Rankius l. l. requiescere non dubitavit et quae ipsi Wyttenbachio l. l. p. 286 in mentem videtur venisse, opinio mordicus tenenda est poëtarum censum veteres grammaticos egisse tradi. Conveniunt nimirum, qui ab Aristophane et Aristarcho instituti esse apud Quintilianum l. l. feruntur, ordines epicorum et iambographorum hanc ad rem.

Sed ea quae de iudicio grammaticorum veterum Quintilianus exponat, dubitationes afferre gravissimas ut quisque est maxime studio et ira vacuus, ita facillime concedet. Sane versus *ὀβελῷ* grammatici notabant. Sane libros falso inscriptos remove-

[10]) Dixerit fortasse quispiam huic sententiae verba Dionysi Thracis, qui Aristarchus discipulus fuerit, repugnare, cum initio artis gramm. (cf. Bekkeri anecd. gr. vol. II p. 239) docuerit: *„γραμματική ἐστι ἐμπειρία τῶν παρὰ ποιηταῖς τε καὶ συγγραφεῦσιν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γενόμενον“* et *„ἀνάγνωσίς ἐστι ποιημάτων ἢ συγγραμμάτων ἀδιάπτωτος προφορά“*. Quod autem neque unquam alibi ipse Dionysius neque interpretes eius (cf. Rankium l. l. p. CX) scriptorum pedestrium rationem habent, ut multa alia, ita verba illa *„τε καὶ συγγραφεῦσιν“* et *„ἢ συγγραμμάτων“* a recentioribus videntur supposita esse.

[11]) Ab eis grammatici omnino tamen non abhorrebant, velut teste Laërtio Diogene III, 61 Aristophanes Byzantius Platonis dialogos in trilogias distribuit.

bant (cf. argum. Hesiod. scut. *„τῆς Ἀσπίδος ἡ ἀρχὴ ἐν τῷ δ′ καταλόγῳ φέρεται.... ὑπώπτευκε δὲ Ἀριστοφάνης... ὁ γραμματικὸς ὡς οὐκ οὖσαν αὐτὴν Ἡσιόδου“* et cf. Quintil. 1, 1, 15). At si verba „auctores alios in ordinem e. q. s.“ hunc in modum enucleanda sunt, ut grammatici chorum omnium diiudicaverint poëtarum, praestantissimos quosque in numeros definitos receperint et ad imitandum proposuerint, ceteros ab hoc, qui dicitur, canone separaverint, Quintilianus incogniti inauditique aliquid videtur prodidisse memoriae.

Iudici sive *κρίσεως*, quae in grammaticae partibus a plerisque ponebatur (cf. Lehrsium l. l. p. 393 sqq.) existimare videlicet erat de natura carminum poëtarumque. Ut enim ea aestimatione, quam nos aestheticam vocamus quaeque iam pridem Graecis placuerat [12]), grammatici fungerentur, ipsorum munere permoverentur necesse erat. Namque ubi operum virtutes examinaverunt (cf. Sextum c. gramm. §. 93 *„τά τε ὑγιῆ καὶ τὰ μὴ τοιαῦτα κρί-*

[12]) Plato Homerum, quem semper longe maximis inter omnes constat laudibus et honoribus celebratum esse, et *ποιητικώτατον* (cf. de rep. X p. 607 A.) et primum tragicum et *„ἄριστον καὶ θειότατον τῶν ποιητῶν* (cf. Ion. p. 570 C.) declaravit idemque philosophus teste Proclo ad Plat. Tim. 1, 28 (cf. Cic. Brut. 51, 191) Antimachum Choerilo poeta quamvis illustri (cf. Suid. s. v. *Χοίριλος· σὺν τοῖς Ὁμηρικοῖς ἀναγινώσκεσθαι ἐψηφίσθη*) pluris aestimavit. Dicitur apud Xenophontem comm. I, 4, 3 ab Aristodemo, a quo auctor dissentire non videtur, admiratione dignissimus Homerus epicorum, Melanippides dithyramborum scriptorum, Sophocles tragicorum. Porro Aristoteles cum poët. cap. 3 p. 1448a Bekk. Sophoclem et Aristophanem ex numero tragicorum comicorumque proponens una cum Homero epicorum principe commemoret, merito confici potest ut sui uterque generis poësis praestantissimus ab Aristotele habitus sit. Euripidis contra virtutes minore praedicatione Aristoteles l. l. cap. 13 p. 1453a afficit. Postquam enim exposuit *„ἀνάγκη τὸν καλῶς ἔχοντα μῦθον ἁπλοῦν εἶναι.. καὶ μεταβάλλειν ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν, μὴ διὰ μοχθηρίαν, ἀλλὰ δι᾽ ἁμαρτίαν μεγάλην. ἡ μὲν οὖν κατὰ τὴν τέχνην καλλίστη τραγῳδία ἐκ ταύτης τῆς συστάσεώς ἐστιν“*, sententiam criticorum, qui Euripidem his legibus usum perstringant, Aristoteles impugnat atque ob id ipsum, quod illa ratione fabulas composuerit, Euripidem appellat quidem *τραγικώτατον τῶν ποιητῶν*, sed addit *„εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ.“* Cuius laudis modus quam sit temperatus, quis est qui non

νουσι τά τε γνήσια ἀπὸ τῶν νόθων διορίζουσιν" et cf. Melamp. [13]) scholiast. Dionysi Thracis in Bekkeri anecd. vol. II p. 741 sq. „*τὸ κρίνειν τὰ ἐμμέτρως γεγραμμένα, τουτέστι τὰ ποιήματα, εἴτε δεόντως εἴτε μὴ δεόντως, εἴτε καλῶς εἴτε φαύλως κεῖται ἐν τῷδε τῷ τόπῳ ἢ τῷδε, καὶ τὰς τούτων ἰδέας εἰδέναι καὶ ἀποφαίνεσθαι*", fieri non potuit quin quanti omnino opera essent aestimanda, diiudicarent. Sic Callimachus Antimacho de Lyde carmine convitium fecit: „*Λύδη καὶ παχὺ γράμμα καὶ οὐ τορόν*" (cf. Schneid. Callim. vol. II p. 228 sq.) atque eis epigrammatis, quae Callimachum in opus „*Γραφεῖον*" collegisse Schneiderus l. l. p. 167 coniecit, non in *πίναξι*, ut Volkmannus l. l. voluit, iudicis partes egisse mihi videtur. Neque Aristophanes Byzantius ab ea censura abstinuit, id quod e versibus Anthol. Palat. append. 286 elucet:

„*Οὐ φαύλως ἔστησα κατ' ὀφθαλμούς σε, Μένανδρε,*
τῆςδέ γ' Ὁμηρείης, φίλτατέ μοι, κεφαλῆς·
Ἀλλά σε δεύτερ' ἔταξε σοφὸς κρίνειν μετ' ἐκεῖνον
γραμματικὸς κλεινὸς πρόσθεν Ἀριστοφάνης."

Item Crates Pergamenus virtutes vitiaque poëtarum perpendit atque hoc epigramma (Anthol. Pal. XI, 218) composuit:

„*Χοιρίλος Ἀντιμάχου πολὺ λείπεται· ἀλλ' ἐπὶ πᾶσι*
Χοιρίλον Εὐφορίων εἶχε διὰ στόματος,
καὶ κατάγλωσσ' ἐπόει τὰ ποιήματα καὶ τὰ φίλτρα
ἀτρεκέως ᾔδει· καὶ γὰρ Ὁμηρικὸς ἦν."

---

intellegat? Deinde tres principes tragicorum, quode infra disseram, apud Athenienses multis annis ante grammaticos Alexandrinos Aeschylus et Sophocles et Euripides vulgo existimati sunt. Denique Ephorum et Theopompum prioribus historicis multum cedere, ut Photius cod. 176 p. 121 Bekk. tradit, Duris Samius statuit. Neque alia eius aestimationis desunt testimonia.

[13]) De Melampode optime exposuit Hoerschelmannus de Dion. Thr. interpretibus (Lips. 1874).

At inter eam scriptorum existimationem et canonis statuendi munus interest pernimium. Hoc vero munus, quod solius scriptoris Quintiliani auctoritatem secutus Ruhnkenius sibi finxit, *κρίσεως* partem fuisse ab aliis, qui de grammaticorum officiis egerunt, traditum non est. Sed casu et fortuito accidisse, ut hac de re gravissima veteres prorsus tacerent, quis est qui sibi persuadeat? Praeterea grammaticos Alexandrinos aut legentibus proposuisse aut describendos librariis commendasse scriptores quosdam tamquam classica exemplaria ne verisimile quidem est propterea quod tunc non erant, qui orationis elegantiae unice intenti essent (cf. Bernhardyi hist. litt. graec. [3] vol. I p. 184). Atque reapse saeculo ante Christum natum primo rhetores, qui animos iuvenum doctrinis excolebant, ad scriptores antiquos quasi ad solum venuste recteque loquendi fontem nondum se retulisse infra demonstrabimus. Cum vero nugatum esse Quintilianum nemo credere audeat, Ruhnkenius illius verba in commodum sententiae, quae ipsi arridebat, perperam detorsisse videtur. Itaque num alia ratione, quid scriptor senserit, eruere possimus, inquirendum est.

Occurrit id quod de ea re Nauckius Arist. Byzant. fragm. p. 68 cogitavit: Aristophanis et Aristarchi opera cum opibus bibliothecae Alexandrinae digerendis et ad tabulas revocandis arte coniuncta in eo substitisse, ut scriptores in quovis genere conspicuos aut breviore indice comprehenderent aut uberiore enarratione describerent ac personas agerent hominum eruditorum, qui historiae litterariae stemmata quaedam conderent. Sed cum id ex verbis Quintiliani cogi vix possit, quia proprie de officiis grammatici loquitur neque ad eos viros, qui fortuito bibliothecae custodiendae provinciam administraverunt, spectare putandus est, etiam Nauckius nescio an haud rectam instet viam.

Quid multa? Mihi quidem id summi momenti esse videtur, quod quaecumque ante hunc, quode agitur, locum Quintilianus tractat, ad scholas disciplinamque puerorum pertinent. Quintilianus enim prooem. §. 21 „Liber primus, inquit, ea quae sunt ante officium rhetoris, continebit." Postquam igitur quomodo prima elementa tractanda essent, exposuit (I, 1), utilius pueros in scholis erudiri quam domi ostendit (I, 2). Nam „pleraque hanc, ait

(I, 2, 13 sq.), condicionem habent ut eadem voce ad omnes simul perferatur.... Grammaticus quoque si de loquendi ratione disserat, si quaestiones explicet, historias exponat, poëmata enarret, tot illa discent, quot audient.“ Tum postquam capite tertio de dignoscendis puerorum ingeniis disseruit, „nunc, ait, quibus puer instituendus sit artibus, qui sic formabitur ut fieri possit orator, et quae in quaque aetate inchoanda, dicere ingrediar“ (I, 3, 18). Quae verba is de quo disputamus, locus sequitur (I, 4, 1 sqq.): „Primus in eo, qui scribendi legendique adeptus erit facultatem, grammaticis est locus e. q. s.“ Unde facile colligitur Quintilianum, cum grammaticorum quae ad iuvenes instituendos pertinet, professione in explananda mentionem veterum grammaticorum Graecorum inferret, nihil aliud egisse nisi ut quomodo his a viris res grammaticae iuvenibus traditae essent, demonstraret.

Ergo Quintilianus his verbis, de quibus disputamus ita voluisse videtur scholarum potissimum in usum illos grammaticos versus censoria virgula notasse. Quo modo cum versus signati essent, magistris ludorum aptissime ansas datas esse enarrationis in aperto est. Qua autem ratione carmina explicaverint, docemur verbis Melampodis l. l. p. 736 his: „ὁ κριτικὸς τὴν τῶν ποιητῶν ἢ φαύλως ἢ ἐν δέοντι ἢ ἐν μὴ δέοντι ἢ εὐκαίρως ἢ ἀκαίρως λεχθεῖσαν ἔννοιαν παρεδίδου τῷ νέῳ καὶ τὴν τούτων αἰτίαν ἐδίδασκεν.“ Deinde sequitur, ut grammatici veteres libros subditos summovendi munere etiam ludorum commodo servientes esse functi tradantur. Sane illos libros vili eorum indole adducti conferri noluerunt puerorum ad institutionem, nisi forte iuvenum, qui per aetatem iudicium facere possent, ad animos exercendos ipsas quaestiones, qui libri falso viderentur inscripti, in scholis habitae sunt. Cur vero grammatici Alexandrini iudicio ut alios poëtas in ordinem redegerint, alios omnino exemerint, usi sint, haud difficile est cognitu. Scholarum enim in usum cum Aristophanem et Aristarchum censum egisse e toto Quintiliani loco, ut equidem credo, necessario cogatur, dubitari non potest quin praestantissimorum poëtarum, quos ad puerorum eruditionem accommodatissimos et interpretatione dignissimos arbitrabantur, delectum confecerint eosque in scholis enar-

randos curaverint. Hoc pacto omnia optime enodari quis erit qui neget? Quid? Nonne multo ante apud Graecos, si verba Suidae s. v. Χοιρίλος „σὺν τοῖς Ὁμήρου ἀναγινώσκεσθαι ἐψηφίσθη“ Bernhardyus hist. litt. graec.[3] II, 1, p. 349 recte ita explanavit, ut dignum carmen Choerili, quod in ludis legeretur, habitum esse diceret, nonne multo ante, inquam, ludorum magistri cunctos poëtas tractare videntur vetiti fuisse (cf. Hermanni antiqu. Graec. privat. p. 281 sq. Stark.)? Neque alienum est, quod nostra aetate non omnium, sed delectorum scriptorum libri in scholis explicantur. Quae cum ita sint, Bernhardyo prorsus assentior, qui in hist. litt. graec. vol. I p. 184 haec expediit: „Wenn die Alexandriner, die weder Rhetoren noch Stilisten, sondern Grammatiker waren, die klassischen Autoren in einer Auswahl bestimmten, so haben sie nur für Zwecke der Schulgelehrsamkeit einen Kreis festgesetzt, in dem ihre Studien sich bewegten, nicht einen normalen Kanon als Blüthenlese der Litteratur.“ Quod si ratum habemus, cur neminem sui temporis grammatici in numerum redegerint (cf. X, 1, 54), perspicuum est: licet inter eos infensa laudis aemulatio intercesserit, tamen magistros opera antiquiorum, quam aequalium, aptiora ad tradenda grammaticae praecepta duxisse ne par esse non concedas, equidem non vereor. Atque hanc normam, quae minime omnium hominum doctorum ad rationes, verum ad consuetudinem magistrorum ludorum pertinuerit, apud veteres nusquam fere perstringi et attingi nemo est cui mirum videatur. Praeterea cum neque cunctis unum idemque placeat et aliis grammaticorum familiis inter omnes constet leges fuisse alias, Aristophanis et Aristarchi iudicia [14]) nisi apud sectatores eorum auctori-

---

[14]) An id eligendi munus a Graecis ea ratione, qua usus est Ruhnkenius, verbis „ἐγκρίνειν“ et „ἐκκρίνειν“ non significatum sit, valde dubito. Nam cum apud Thucydidem, Sophoclem aliosque in „ἐκκρίνειν“ vocabulo laudis notio („auserlesen“) inest — cf. Stephan. Thesaur. Didot. s. v. ἐκκρίνειν et ἔκκριτος —, tum Dionysius Halicarnassensis epist. ad. Cn. Pomp. c. 3 p. 767 R. dicit: „τούτους ἐκκρίνω τοὺς ἄνδρας εἰς μίμησιν ἐπιτηδειοτάτους“, ita ut „ἐκκρίνειν“ contrariam ei, quam Ruhnkenius voluit, vim habeat.

Deinde „ἐγκρίνειν“ vox duobus locis (cf. Suid. s. v. Δείναρχος „τῶν μετὰ Δημοσθένους ἐγκριθέντων εἷς“ et Phot. cod. 61 „Αἰσχίνην Φρύνιχος εἰς

tate valuisse credibile est. Neque illi grammatici hac norma usque adeo se obstrinxisse putandi sunt, ut praeter eos, quos scholis et eis exercitationibus, quibus in Museo iuvenum ingenia acuebantur, ut credo, destinaverunt, aliis scriptoribus extra ludos operam non navarent. Cum vero haec ita se habeant, an ambitum illius „*κύκλου*“ indagare nominaque poëtarum receptorum explorare nequeamus, maxime dubium est. Servati sunt quorum Quintilianus mentionem fecit, soli epicorum et iambographorum ordines.

τοὺς ἀρίστους ἐγκρίνει“) ita usurpatur, ut de canone, qui dicitur, agi videatur. Attamen eodem loco Photius ad Aeschinis orationem respiciens „*οὐκ ἐγκρίνει δὲ*, ait, *αὐτὸν* (sc. *τὸν λόγον*) *ὁ Καικίλιος*“, ubi apertum est, nihil aliud esse „*ἐγκρίνειν*“ nisi „iudicio suo probare.“ Neque igitur ullo modo opus est sub vocem *ἐγκρίνειν* subicere propriam sententiam eligendi scriptores, ut ita dicam, canonicos. Cum porro simplici verbo „*κρίνειν*“, quod in universum deligendi sensum indicat, „*κριθέντες*“ quam „*ἐγκριθέντες*“ multo saepius oratores decadis Atticae vocati sint (cf. Westerm. biogr. p. 256 „*Ὑπερείδην, Ἰσαῖον, Λυκοῦργον, οἵτινές εἰσι τῶν ί ῥητόρων τῶν κριθέντων τε καὶ ἀναγινωσκομένων*“ atque cf. Suid. ss. vv. *Ὑπερίδης* et *Λυκοῦργος* et *Πυθέας* et *Νικόστρατος*), vocabulorum „*ἐγκρίνειν*“ et „*ἐκκρίνειν*“ eos significatus peculiares quos supra diximus, Ruhnkenius videtur temere esse commentatus.

Cap. III.

§. 1.

Dixerit fortasse quispiam non modo Quintilianum, sed etiam alios scriptores ad eum, qui Alexandriae actus sit, censum respexisse ideoque eius imaginem, praesertim cum haud raro apud veteres scriptorum delectus certis numeris definiti exstent, posse depingi. Quodsi iudicia Alexandrinorum verum esset totam antiquitatem quodam modo secutam esse, equidem confiterer de vi canonis, quem dixit, Ruhnkenium haud inepte disputasse. At quotquot hoc pro certo habuerunt, omnes nubem pro Iunone amplexi esse mihi videntur. Iam quid de illa re statuendum sit, copiosius exponere tempus est. Atque primum scriptorum Graecorum delectus, qui exstet apud Quintilianum (X, 1), quatenus referri possit ad auctoritatem Alexandrinorum, cognoscemus, deinde ceteris de scriptoribus qui Alexandrinos secuti esse putantur, disputabimus.

Quintilianus cum et epicorum (X, 1, 54) et iambographorum (X, 1, 59) ordinem ab Aristophane et Aristarcho confectum commemoraverit, num etiam in reliquis scriptorum sive potius poëtarum generibus percensendis „*κρίσιν*“ Alexandrinorum comprobaverit, quaestio exoritur. Sed quamquam complures auctores citavit, tamen numquam eum cuius vestigia maxime pressit, Quintilianus nominavit: Dionysium dico Halicarnassensem. Scripsisse enim „*περὶ μιμήσεως*“ sese opus eiusque libro altero quos imitari deceat poëtas et philosophos et historicos et oratores, docuisse Dionysius epist. ad Cn. Pomp. c. 3 p. 766 enuntiat atque quae de

Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Philisto, Theopompo iudicaverat, eodem loco retractat. Atqui verbis Dionysianis l. l. p. 776, 5 sqq. adumbratio virtutum Herodoti Thucydidisque, quam Quintilianus X, 1, 73 profert, admodum convenit:

„*Θουκυδίδης μὲν γὰρ τὰ πάθη δηλῶσαι κρείττων, Ἡρόδοτος δὲ τά γ' ἤθη παραστῆσαι δεινότερος...... αἱ τὴν ἰσχὺν καὶ τὸν τόνον καὶ τὰς ὁμοιοτρόπους δυνάμεις τῆς φράσεως ἀρεταὶ περιέχουσαι. κρείττων ἐν ταύταις Ἡροδότου Θουκυδίδης. ἡδονὴν δὲ καὶ πειθὼ καὶ τέρψιν καὶ τὰς ὁμοιογενεῖς ἀρετὰς εἰςφέρεται μακρῷ Θουκυδίδου κρείττονας Ἡρόδοτος. τῆς δὲ φράσεως τῶν ὀνομάτων τὸ μὲν κατὰ φύσιν Ἡρόδοτος ἐζήλωκε, τὸ δὲ δεινὸν Θουκυδίδης.*“

„Densus et brevis et semper instans sibi Thucydides, dulcis et candidus et fusus Herodotus; ille concitatis, hic remissis affectibus melior; ille contionibus, hic sermonibus, ille vi, hic voluptate.“

Deinde quae in commentariolo quod „*τῶν ἀρχαίων κρίσις*“ inscribitur et Dionysi inter scripta (p. 415 sqq. R.) reperitur, de historicis (p. 424 sqq. R.) explicantur, ea cum fragmento illo libri *περὶ μιμήσεως* ita congruunt, ut quae copiosius Dionysius exposuit p. 775, 5 usque ad p. 787 R., in angustum coacta p. 424, 5 usque ad 429 R. contineantur. Ex quo efficitur id, quod Beckerus praef. versionis libri Dion. de Demosthene (a. 1829) p. 19 sqq. rectissime percepit, totum libellum „*τῶν ἀρχαίων κρίσις*“ epitomam esse libri secundi „*περὶ μιμήσεως*“. [15]) Sed ipsum ad adstrictum huius epitomae sermonem saepissime Quintiliani sententiae proxime accedunt. Quae enim de Homero et Hesiodo et Antimacho et Panyasi (X, 1, 46—54) atque de Pindaro et Stesichoro et Alcaeo et Simonide (l. l. 61—64) Quintilianus disputavit,

[15]) Quam exiliter verba Dionysi excerpta sint, quo quisque accuratius ea contulerit, quae comparari possunt, eo certius intelleget, ita ut epitomam recentissimis temporibus confectam esse concedere non dubitet. — Ceterum integro libro Syrianus et Maximus Planudes, quorum locos collegerunt Blassius de Dionys. Hal. scriptis rhett. p. 19 sqq. et Roesslerus Dionys. scriptt. rhett. fragm. p. 26 sqq., videntur usi esse.

verbis epitomae p. 418, 1—422, 2 simillima sunt. Similia porro neque in aestimandis tragicis neque in oratoribus (cf. Quint. X, 1, 79 et Dion. p. 432, 9 sqq.) neque in philosophis (cf. Quint. l. l. §. 83 et Dion. p. 430) desunt. Ergo Dionysi iudicia Quintilianum non modo plerumque comprobasse, verum crebro etiam descripsisse ad verbum in aperto est.

Fieri igitur potuit, ut Quintilianus Aristophanis et Aristarchi auctoritatem non secus atque aliorum scriptorum quasi fortuito afferret: velut Ciceronem utpote qui Demetrium Phalereum in medio dicendi genere omnibus praeferret, in testimonium vocavit (cf. l. l. §. 80). Item compluries ad eundem omisso nomine spectasse videtur, ut Clitarchi fidem infamatam fuisse dicit (cf. Quint. l. l. §. 75 et Cic. Brut. 11, 42). Atque ab Horatio cuius iudicium de Pindaro factum praedicat, cum alia (cf. l. l. §. 56) petita sunt, tum Alcaei plectrum aureum (cf. l. l. §. 63 et Hor. carm. 2, 13, 26). Quod si quis agnoscat, Quintiliani verbis qualis delectus Alexandrinorum fuerit, certiores nos fieri neget. Contra erunt, qui Dionysium putent censurae Aristarcheae rationes comprehensione complexum fuisse atque per hunc earum notitiam Quintilianum accepisse. At vero Dionysius quamquam saepissime in libris rhetoricis, quorum plurimos tenemus integros, exempla ex poëtis et scriptoribus sumpsit, tamen numquam eos excitavit quasi legibus grammaticorum sancitos. Si autem quisquam, Dionysius ipsis, de quibus egit, rebus eo adducebatur, ut eius canonis, si auctoritate florebat, mentionem faceret. Est hoc silentium aliquid! Quod igitur ad poëtas attinet, admodum equidem dubito utrum eosdem, quos in scholis tractandos Aristarchus curaverat, Dionysius libris *περὶ μιμήσεως* ad imitandum commendaverit necne. Pedestrium vero scriptorum censum suopte cum iudicio egisse luce clarius est. Nam de orat. ant. c. 4 (p. 450 R.) Dionysius se docturum esse professus quinam sint inter oratores et historicos maxime insignes et quae cuiusque ratio fuerit vivendi dicendique, „*ἐγὼ γοῦν οὐδεμιᾷ*, inquit, *τοιαύτῃ περιτυχὼν οἶδα γραφῇ, πολλὴν ζήτησιν αὐτῶν ποιησάμενος.*“ Deinde in libro *περὶ μιμήσεως* altero (cf. p. 767 R.: „*τούτους ἐ κ κ ρ ί ν ω τοὺς ἄνδρας εἰς μίμησιν ἐπιτηδειοτάτους*) ex historicis Herodotum

aliosque, quos enumeravimus, ipse delegit. Adde quod a grammaticis Alexandrinis delectum scriptorum pedestrium non esse habitum supra demonstratum est. Quae cum ita sint, hoc satis mihi videor ostendisse neque ex Quintiliano neque ex Dionysio certi quidquam de canone Alexandrino erui posse. Sed num aliunde huius census forma perspiciatur, sciscitari oportet.

Quamquam Ruhnkenius et Proclum et grammaticum biblioth. Coisl. p. 577 Alexandrinorum iudicia comprobasse affirmavit, tamen ne animum ad coniciendum nimis intenderit, equidem timeo. Quid enim de Proclo scriptore *χρηστομαθίας γραμματικῆς*, quem non esse Proclum Lycium sive Diadochum, sed grammaticum aetate multo priorem (Eutychium Proclum? cf. Welckeri cycl. epic. vol. I p. 5 sqq. et Bernhardyi hist. litt. gr. ³ vol. II, 1, p. 238) verisimile est, statuendum sit, infra (adn. 20) apparebit. Opus autem Procli a Photio tantummodo biblioth. cod. 239, cuius verba cum aliis *χρηστομαθίας* fragmentis Gaisfordius subiecit editioni Hephaest. enchir. (Oxon. 1855), servatum nobis est et ita quidem, ut maxime contractum mutilumque sit. Quod per omnibus triste visum est. Quem vero grammaticum Coislinianum Ruhnkenius vocavit, qualis sit, posse vix iam ambigi credo atque ne lectori fastidia feram, ad ea, quae de scriptoribus tabularum Coislinianae et Bodleianae supra exposui, hoc loco relego. —

Verum qui veterum consensus sit in scriptoribus censendis, quem Ruhnkenius, Wolfius, ceteri praedicabant, ut accuratius percipiamus, ad opera aliorum grammaticorum criticorumque nobis adeundum est. Scripsit Isaacus Tzetza proleg. ad Lycophr. Alex. (vol. I p. 247 sqq. Muell.) uberius de poëtis poësisque generibus. Deinde Ioannes Tzetza frater *στίχους περὶ διαφορᾶς ποιητῶν* (ed. Dübnerus mus. Rhen. vol. IV p. 393 sqq. et Cramerus anecd. Graec. Oxon. vol. III. p. 334 sqq.) composuit atque proleg. in Hesiod. Opp. et DD. (ed. Gaisfordius poëtt. minn. gr. vol. II p. 12 sqq.), quo loco opus fratris commemorat his verbis „*καὶ τῷ ἐμῷ ἀδελφῷ ἐκπεπόνηται λίαν κάλλιστα καὶ φιλοτιμότατα περὶ τούτου ἐν τῇ τοῦ Λυκόφρονος ἐξηγήσει*“, eandem rem brevius repetiit. Andronici porro cuiusdam commentatiuncula „*περὶ τάξεως ποιητῶν*“ in Bekkeri anecd. graec. vol. III p. 1461 exstat.

Sed cum ea ex variorum [16]) scriptis misere conflatum sit, omnino fere eam neglegere placet et ea tantum quae ex eis quos compilavit, scriptoribus non licet haurire, infra apponere. Denique quicumque non ex proposito, sed fortuito scriptorum existimatione functi sunt, iudicia eorum erunt afferenda.

§. 2.

Iam ad id, quod nobis proposuimus, animos diligenter attendamus atque quantum apud veteres valuerit census Alexandrinorum, quoad fieri potest, requiramus. Hanc igitur ad quaestionem progressis exordium nobis sumendum est ab epicis poëtis. —

A.

Epicorum poëtarum in epitoma Dionysi operis *περὶ μιμήσεως* quattuor nomina proponuntur: Homerus, Hesiodus, Antimachus, Panyasis atque eadem a Quintiliano (X, 1, 46 sqq.) qui illius iudicia paene descripsisse videtur, laudantur. Cum autem addat „Apollonius in ordinem a grammaticis datum non venit, quia Aristarchus atque Aristophanes neminem sui temporis redegerunt; non contemnendum edidit opus aequali quadam mediocritate“,

---

[16]) Andronicus Ioannis Tzetzae prooemium in Hes. l. l. exscripsit a verbis „*τῶν ποιητῶν οἱ μέν εἰσι*“ usque ad „*οἷός ἐστιν Ἀριστοφάνης, Εὔπολις, Φερεκράτης*“ neque quidquam nisi nonnulla lyricorum poëtarum nomina interposuit. Deinde quae de comoediae graecae mutationibus explicat, ea praeter fabularum Platonis comici indices duos *κατὰ στοιχεῖον* confectos, quos Suidas s. h. v. in unum ordinem coactos habet, et praeter comicorum latinorum quaestiones ad verba Melampodis schol. Dion. Thr. l. l. p. 749, 13 sqq. (cf. Hoerschelmannum l. l. p. 11) et anonymi *περὶ κωμῳδίας* (cf. Crameri anecd. Paris. vol. I p. 4) proxime accedunt. Postremo a verbis „*τραγικῶν δὲ ποιητῶν γνώρισμα οἶκτοι*“ usque ad finem paucis adiectis Ioannem Tzetzam Andronicus denuo sequitur atque in poëtis epicis enumerandis Hesiodum ultimo loco, quo eum Tzetza suo consilio posuit, retinuit.

nonne hoc ordine eos poëtas quattuor, quod modo enotaverat, contineri voluit intellegi? Neque enim si illum ordinem antea neglexerat, cur eum commemoraret, Quintilianus habebat. Quo concesso eosdem, qui ut in ludis legerentur, Alexandrini praeceperant, poëtas epicos etiam Quintilianus nescio an ad imitandum commendaverit, nisi forte eius verba ab epitomatore nimium quantum mutilata sunt. Sed utrum sese Alexandrinos sequi Dionysius senserit necne, id ipsum incertissimum est. Posteriores vero Quintiliano homines auctoritati Aristophanis Aristarchique obtemperasse minime videntur. Hadriani enim aetate Antimachus oblivione ita obrutus erat, ut eius nomen vix esset notum, id quod Cassius Dio LXIX, 4, 6 Dind. testatur: „*Ἀδριανὸς τὸν Ὅμηρον καταλύων Ἀντίμαχον ἀντ᾽ αὐτοῦ εἰσῆγεν, οὗ μηδὲ τὸ ὄνομα πολλοὶ πρότερον ἠπίσταντο*“ (cf. Suid. s. v. *Ἀδριανός* et Ael. Spart. vit. Hadr. c. 16). Quam autem epicorum delectus, quem Alexandrini confecerunt, in omnium ore et usu non fuerit, vel ex eo colligitur quod Pisandrum, quem Quintilianus l. l. inter poëtas sequiores enumeravit, plerique adicere non sunt veriti. Namque „*γεγόνασι τοῦ ἔπους*, ait Proclus p. 319 Bekk. (p. 343 et 445 Gaisf.), *ποιηταὶ κράτιστοι Ὅμηρος, Ἡσίοδος, Πείσανδρος, Πανύασις, Ἀντίμαχος*“ atque seriem hanc chronologicam non solum scriptor tabulae Coisl. §. 2 — in tabula Bodl. §. VIII nomen Panyasis fortuito, ut arbitror, excidit —, sed ordine mutato etiam Isaacus Tzetza l. l. p. 251 et Ioannes frater (*περὶ διαφορᾶς ποιητῶν* p. 340 Cram. et proleg. ad Hesiod. p. 14) proferunt. Eadem *πεντὰς* in prolegomenis ad Oppian. p. 290 Bussemak., quae Tzetza composuisse putatur (cf. Bernhardyi hist. litt. gr. [3] II, 2, 752) reperitur. Procli igitur sententiam ab Alexandrinis pendere quominus cum Ruhnkenio putemus, optimo iure impedimur. Ac si Proclum Pisandrum allegisse recte suspicamur, non habemus, cur illius censuram Tzetzas ceterosque assensu approbasse negemus. Ipsi vero epici praestantissimi in quem ordinem redigendi essent, criticos longe inter se dissensisse indicant verba anonymi in Crameri anecd. Oxon. vol. III p. 139 „*εἶπον ἂν καὶ τίνες μὲν τοῦ ἔπους γεγόνασι κράτιστοι ποιηταί, ὧν ὁ Πανύασις γνωριμώτατος μετὰ Ὅμηρον*“ et Suidae s. v. *Πανύασις*· „*ἐν δὲ ποιηταῖς τάττεται*

μεθ᾽ Ὅμηρον, κατὰ δέ τινας καὶ μεθ᾽ Ἡσίοδον καὶ Ἀντίμαχον.“ [17]) Sed etiam Antimachum nonnulli, velut Antipater Thessalonicensis (Anthol. Palat. VII, 409)

„*Καὶ ναετὴρ Κολοφῶνος ὑπέζευκται μὲν Ὁμήρῳ,*
ἀγεῖται δ᾽ ἄλλων πλάθεος ὑμνοπόλων,“

Homero subiunxerunt. His controversiis facile fieri potuit, ut epicorum delectus varia circumscriptione comprehenderetur. Ceteroquin cum Suidas s. v. *Θάμυρις* „*ἐποποιὸς ὄγδοος*, inquit, *πρὸ Ὁμήρου, κατὰ δὲ ἄλλους πέμπτος*“, ad indices magni ambitus, in quibus poëtis fabulosis, qui ab Homero Iliad. II, 595 commemorantur, locus datus erat, videtur spectasse.

Sed ad **iambographos** transeamus. „Ex tribus receptis, ait Quintilianus l. l. §. 59, Aristarchi iudicio scriptoribus iamborum ad *ἕξιν* maxime pertinebit unus Archilochus.“ Cum igitur ordinem horum poëtarum fuisse traditum sit, quinam eius essent alii duo, — Semonidem Amorginum [18]) et Hipponactem dixit — quaestionem se persolvisse Ruhnkenius sibi persuasit neque falso putatur temeritate vacasse propterea, quod ordine temporum servato duos illos poëtas Archilocho et scriptor in voll. Herculann. coll. II vol. IV p. 201 et Lucianus Pseudol. c. 2 p. 163 Reitz. et Proclus p. 319 Bekk. (p. 346 Gaisf.) et scriptores tabb. Coisl. §. 2 et Bodl. §. IX subiciunt. Fac autem ex his iudicium Alexandrinorum colligi: minime deerant, qui ab eo aliquantum discreparent. Primum enim et Diomedes (gramm. latt. vol. I p. 485 Keil.) et Ioannes Tzetza *περὶ διαφορᾶς ποιητῶν* p. 339 Cram. duos dumtaxat huius generis poëtas praestantissimos Archilochum Hipponactemque laudaverunt. Deinde Isaacus Tzetza l. l. p. 254 Ana-

[17]) Forsitan Suidas hoc loco Pisandrum ab optimis epicis separaverit.

[18]) Quod scriptor tabulae Coisl. (§. 9) perperam monuit: „*ἰστέον οὖν ὅτι Σημωνίδης μὲν ὁ λυρικὸς διὰ τοῦ „η“ γράφεται, Σιμωνίδης δὲ ὁ ἰαμβοποιὸς διὰ τοῦ „ι“*, hoc ab auctore Etymol. M. p. 713, 17 recte in contrarium vertitur. Dicitur enim iambographus in volumine Hercul. „*Σημωνίδης*“ atque Leoprepis fili, Cei nomen in marmore Pario v. 70 incisum est „*Σιμωνίδης*“.

niae, quem Bernhardyus hist. litt. gr. [3] II, 1, 544 vocavit Ananium, Archilochum et Hipponactem postposuit (cf. „ἀριπρεπεῖς ἰαμβογράφοι τρεῖς· Ἀνανίας, Ἀρχίλοχος, Ἱππῶναξ“). Accedit, quod Plinius epist. IV, 3, 3 aestimandi diversissimam rationem reddidit. „Ita certe sum, inquit, adfectus ipse, cum Graeca epigrammata tua, cum iambos proxime legerem. Quantum ibi humanitatis, venustatis, quam dulcia illa, quam amantia, quam arguta, quam recta! Callimachum me vel Herodem vel si quid his melius tenere credebam, quorum tamen neuter utrumque aut absolvit aut attigit.“ Hoc loco Herodem iambographorum principem, quemadmodum epigrammatistarum Callimachum, a Plinio haberi quis est qui non miretur? Quid? Totane antiquitas praeceptis grammaticorum Alexandrinorum serviit? Num qui ab eis ad usum ludorum designati erant, soli vigebant hominumque studia tenebant? Minime, ut videtur!

Summos in **elegiacae poësis** genere inter eruditos constat Callimachum et Philetam a Propertio aliisque poëtis Romanis, qui eos imitarentur, fuisse existimatos (cf. Westermannum in Paulyi encycl. vol. V p. 1470). Sed et eis Horatius, qui Mimnermum Callimacho pluris pependit (epist. II, 2, v. 101), repugnavit neque Quintiliani temporibus consensum fuisse eius verbis confirmatur (l. l. §. 56) „elegiae princeps habetur Callimachus, secundas confessione plurimorum Philetas occupavit.“ Verum etiam postea in diversum tendebant sententiae: Proclus enim p. 319 Bekk. (p. 345 Gaisf.) et scriptores tabb. Coisl. §. 8 et Bodl. §. XV Callinum, Mimnermum, Philetam, Callimachum aetatis ordine deinceps compositos referunt; cum in fragmento, quod Censorino adscribitur, c. 12 p. 63 Hultsch. narratur „antiquissimi [sunt] poëtarum Homerus, Hesiodus, Pisander, hos secuti elegiarii Callinus, Mimnermus, Euenus“, eorum nomina ita ponuntur, ut quasi nobilissimi commemorentur; ab Isaaco Tzetza l. l. p. 257 Callimachus, Mimnermus, Philetas praedicantur. Quoniam vero Aristophanes atque Aristarchus nullum aequalem in numerum redegerunt, Philetam et Callimachum utpote qui Ptolemaeorum aetate viverent, receptos non esse uni cuique liquet. Itaque si illi viri ordinem

elegiacorum poëtarum instituerunt, quomodo is formatus fuerit, quis est qui definire audeat? At cum ea quidem quae alii velut Aristoteles [19]) de hoc poësis genere statuerunt, memoriae tradita sint, Alexandrinorum autem de norma, quam minimum valuisse modo demonstravimus, prorsus silentium sit, tota res mihi videtur non satis fidei habere neque probabili coniectura sustentari. Certe Ruhnkenio minime licuit contendere Proclum [20]) elegiacorum poëtarum delectum ab Alexandrinis petisse.

Ad **poëtas lyricos** progredientibus nobis haud minores occurrunt difficultates. „Novem lyricorum longe Pindarum principem“ cum Quintilianus l. l. §. 61 dicat, numerum novenarium lyricorum definitum esse elucet. Exstant, quos in canonem suum Ruhnkenius recepit, Alcman Alcaeus Sappho Stesichorus Pindarus Bacchylides Ibycus Anacreon Simonides — hercle novem et in tabb. Coisl. §. 9 et Bodl. §. XVI et apud Andronicum l. l. p. 1461 et duobus in epigrammatis ἀδεσπότοις (cf. Anth. Palat. IX, 184 et 571). At decimam plerique novem poëtis addiderunt Corinnam. Hac de re Melampodis schol. Dion. Thr. p. 751 verba

---

[19]) cf. schol. Bob. Ciceron. pro Archia 10, 3 p. 358 Orell. „primus videtur elegiacum carmen scripsisse Callinus. Adicit praeterea Aristoteles hoc genus poëtas Antimachum Colophonium, Archilochum Parium, Mimnermum Colophonium, quorum numero additur etiam Solon Atheniensis legum scriptor nobilissimus.“

[20]) Plura Procli iudicia, quam quae enotavimus, servata nobis non sunt. Sed quamquam eis locis, ubi auctores nostri tacent, id ipsum numquam renuntiamus, tamen illius rei mentionem movimus. Nam Procli chrestomathiam cum reliquiis operis Didymei „περὶ λυρικῶν ποιητῶν“, quae apud Orionem Thebanum exstant, vel obiter comparantibus nobis non potest non primo statim obtutu oculorum se obtrudere, quae inter utriusque placita intercedit, similitudo tam manifesta, ut Proclo in duobus prioribus chrestomathiae libris Didymum fontem fuisse maxima cum veri specie suspicemur (cf. Schmidtium, Didym. fragm. p. 390). Iam ordinesne poëtarum, quos Proclus habet, e Didymo fluxerint, haud inutilis est quaestio, sed vix potest ad liquidum perduci. At si Proclus illos ordines ex Didymo hausit, ipsum Didymum Alexandrinum epicorum canonem Aristarcheum Pisandro addito commutasse apparet. Quod cum in medio sit reliquendum, multo magis dubium utrum a Proclo an a Didymo scriptores tabb. Coisl. et Bodl., qui cum

appono: „*γεγόνασι λυρικοὶ καὶ οἱ πραττόμενοι*[21]) *ἐννέα, ὧν τὰ ὀνόματα ἐστι ταῦτα*.... sequuntur, quae modo enumeravimus, *κατὰ στοιχεῖον* nomina.... *καὶ δεκάτη Κόριννα.*“ Atque hanc decadem cum alii velut Isaacus Tzetza l. l. p. 252 et Ioannes Tzetza p. 334 Cram. habent, tum Petronius sat. c. 2, cuius opus Neronis aetate scriptum est (cf. Teuffeli hist. litt. Rom. §. 300), mentionem „de Pindaro novemque lyricis“ fecit. Contra Stati ex versibus silv. V, 3, 93 sqq.

„Et quibus Arcadia carmen testudine mensis
Cura lyrae nomenque fuit, quosque orbe sub omni
Ardua septena numerat sapientia fama.“

septenarium lyricorum numerum Welckerus hist. trag. gr. vol. III p. 1251 efficere voluit constitutum fuisse. Quod utcumque est, temporibus Petroni Quintilianique, qui aequales erant, consensus non comparet. Deinde anonymus *περὶ λυρικῶν* in Boissonadi anecd. vol. IV p. 458 (cf. Schmidtium, Didym. fragm. p. 396)

Proclo in nominibus enotandis consentiunt, pendeant, neque quantum ab alterutro auctor scriptorum petiverit, unquam apparebit. Etenim quod neque de Procli neque de Didymi operum natura certiores facti sumus, prorsus in lubrico versamur. Ceterum Schmidtius probare studuit idcirco fuisse eum, qui chrestomathiam scripsisset, Proclum Lycium sive Diadochum, quia Orion magister Procli Lycii effecisse videretur, ut Proclus Didymum sequeretur. Sed cum dubitetur, an Proclus ille Lycius omnino a rebus grammaticis abstinuerit, quidni et scriptorem chrestomathiae et Orionem ex suo utrumque arbitrio ad Didymum confugisse putemus?

[21]) Item a Melampode paulo antea p. 749 „*Κρατῖνος ὁ καὶ πραττόμενος*“ et ab Isaaco Tzetza l. l. p. 256 „*κωμῳδοὶ πραττόμενοι Κρατῖνος, Πλάτων* e. q. s.“ et in scholiis Maximi Planudae tom. VII p. 26 Walz. „*οἱ ῥήτορες οἱ διαπραττόμενοι*“ dicuntur (cf. Aristid. ed. Dind. vol. III p. 737 „*ἡ πραττομένη τῶν ῥητόρων δεκάς*). Est enim „*ὁ πραττόμενος*“ is, cuius opera leguntur et explicantur. Sic Suidas s. v. *Ἀριστοφάνης* „*δράματα δὲ αὐτοῦ*, inquit, *μδ´, ἅπερ δὲ πεπράχαμεν Ἀριστοφάνους δράματα, ταῦτα*“ e. q. s. atque in scholiis Nicand. th. 11 p. 174 Bussem. „*ἐν τοῖς πραττομένοις*“ valet „in den gelesenen, vorhandenen Gedichten“ (cf. Pindari edition. Schneidewin. vol. I p. CI not. 18. quem tamen librum inspiciendi mihi non erat occasio).

octo tantum lyricos enumeravit; quattuor proposuit epitomator Dionysi p. 420 R.; tres quasi exemplaria Ioannes Tzetza ad Hesiod. p. 13 elegit. Praeterea quis eorum lyricorum dignus esset, cui palma deferretur, exstiterunt controversiae. Plutarchus enim *περὶ μουσικῆς* c. 14 p. 1136 B. docet: „*ἱστορεῖ ὁ ἄριστος μελῶν ποιητὴς Ἀλκμᾶν*“, atque quamquam paulo antea Pindarum principem vocavit, tamen Quintilianus l. l. §. 64 concedit Simonidem propter eius in commovenda miseratione virtutem omnibus lyricis quosdam praetulisse. At quem tandem ex ordinibus, qui certis terminis circumscripti pervulgabantur, ad auctoritatem grammaticorum Alexandrinorum referendum esse opineris? Novenarium dixeris numerum quippe quem Quintilianus laudet. Hanc vero sententiam qui ratam habeant, ne procul a vero aberraverint, equidem vereor, quod Musarum ad numerum ille accommodatus esse videtur.[22]) Indicet nescio an id Antipater Thessalonicensis his versibus (Anthol. Palat. VII, 18):

„*Ἀλκμᾶνα......*
...ὃν Μουσέων ἐννέ᾽ ἀριθμὸς ἔχει.“

Neque quo poëtrias novem in unum conductas item cum Musis comparat (Anthol. Palat. IX, 26), Antipatri carmen alienum est:

„*Ἐννέα μὲν Μούσας μέγας Οὐρανός· ἐννέα δ᾽ αὐτὰς*
Γαῖα τέκεν, θνατοῖς ἄφθιτον εὐφροσύναν.“

Hos vero nugas non tam ad munus grammaticorum, qui austeri magistri animos iuvenum erudiverint, quam ad ludicrorum

---

[22]) Satis constat veteres eius lusus, quo res humanas sanctis appellationibus vel sacris numeris exornarent et celebrarent, fuisse studiosissimos. Audias, quaeso, quae de Aeschine oratore Photius biblioth. cod. LXI (p. 20 Bekk.) tradit: „*τοὺς τρεῖς λόγους αὐτοῦ τινες Χάριτας ὠνόμασαν διά τε τὸ χαρίεν τοῦ λόγου καὶ τὸν ἀριθμὸν τῶν Χαρίτων, Μούσας δὲ τὰς ἐπιστολὰς διὰ τὸν ἀριθμὸν τῶν ἐννέα Μουσῶν.*“ Similiter Sapphonis novem (cf. Suid. s. h. v.) libros nominibus Musarum notatos esse apparet ex verbis Tulli Lau-

epigrammatum scriptores spectare ut quisque est maxime emunctus, ita concedet animo aequissimo.

Geminum iocosi iudici exemplum est **tragicorum,** quae dicitur, *πλειάς*. Interpres enim Hephaestionis p. 57 Gaisf. (Oxon. 1855) enarrat Ptolemaei temporibus septem praestantissimos tragicos fuisse Homerum, Sositheum, Lycophronem, Alexandrum, Philicum, Dionysiadem, Aeantidem atque hanc ob causam nomine *πλειάδος* appellatos esse. Alius autem scholiasta p. 199 „*ἐπὶ μὲν τῶν χρόνων*, inquit, *Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου ἑπτὰ ἄριστοι γεγόνασι τραγικοὶ, οὓς Πλειάδας ἐκάλεσαν διὰ τὸ λαμπροὺς εἶναι ἐν τῇ τραγικῇ, ὥσπερ ἄστρα ἐν τῇ Πλειάδι. εἰσὶ δὲ οὗτοι Ὅμηρος ... καὶ Σωσίθεος καὶ Λυκόφρων καὶ Ἀλέξανδρος καὶ Αἰαντιάδης καὶ Σωσιφάνης καὶ Φίλισκος.*“ Verum in codice alio additur: „*ἀντὶ τοῦ Αἰαντιάδου καί Σωσιφάνους Διονυσιάδην καὶ Εὐφρόνιον τῇ Πλειάδι συντάττουσιν.* Ergo triplici modo ex novem nominibus cum ea heptas conficiatur neque ulli Suidae, a quo s. hh. vv. Alexander et Dionysiades et Lycophron et Homerus et Sositheus et Sosiphanes et Philiscus in pleiade positi sunt, ratio consentiat, eius formam maxime inconstantem fuisse quis est quin miretur? Quid? Rato existimatorum iudicio si illa *πλειὰς* definita esset, num credibile est futurum fuisse ut hunc in modum variaretur? [23]) Contra optime Bernhardyus hist. litt. graec. [3] vol. II, 2, p. 72 sensisse mihi videtur cum enuntiat: „Dieser figuerliche Titel verraeth mehr einen epigrammatischen Witz, als den nuechternen Gebrauch der Grammatiker, und weit eher begreift man, dass ein ehrsuechtiges Zeitalter das Zusammentreffen meherer Buehnendichter als einen Lichtpunkt bezeichnete.“ Minime vero a scholis Aristophanis Aristarchique, qui neminem sui temporis in numerum receperunt, proficisci *πλειὰς* potuit. At quia Strabo XIV p. 675 hanc appellationem novit, iam ante illum ex poëtis his tragicis *τῆς δευτέρας τάξεως*, quam qui historiam litterarum Graecarum composuerunt, priscis tragicis sine dubio opponerent, eas „heptades“ confectas esse omnibus est perspicuum. Quocirca ne lyricorum quoque numeros aliquanto ante Quintilianum constitutos esse et ita quidem, ut a grammaticis Alexandrinis alieni habendi sint, nos arbitremur, nihil obstare videtur, praesertim cum aetate Aureli Opili, qui Rutilium Rufum (anno u. 661 cf. Langi antiquitt. Rom. vol. III, 1 p. 91 sq.) condemnatum in Asiam secutus est (cf. Suet. gramm. 6), ipsa Musarum appellatione nugatorias inscriptiones usurpatas esse supra (cf. adn. 22) animadverterimus.

Iam quos tragicos *τῆς πρώτης τάξεως* in canone Alexandrino fuisse Ruhnkenius existimaverit, inquiritur. Secutus nimirum tabulae Coisl. (§. 4 = tab. Bodl. §. XII) scriptorem enumeravit Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, Ionem, Achaeum. Qui delectus cum nisi inde in conspectum non veniat, quam parum consuluerit Ruhnkenius aequitati et continentiae, facile est cognitu. Quid ita? Quia huius normae, quam in vulgus valuisse contendit, ne umbra quidem captari potest. Contra a cunctis fere scriptoribus, quandocumque vel legendi scribendique praecepta dabant vel praestantissimos tragicos proponere in animo erat, prin-

---

reae (Anthol. Pal. VII, 17) et idem color in epigrammate in Herodotum scripto (Anthol. Pal. IX, 160) cernitur:

„*Ἡρόδοτος Μούσας ὑπεδέξατο· τῷ δ' ἄρ' ἑκάστη*
ἀντὶ φιλοξενίης βίβλον ἔδωκε μίαν.“

Haec Musarum appellatio, quam libris Herodoteis primus scriptorum pedestrium, quod sciam, Lucianus (Herod. cap. 1 p. 833 R. et Quomodo hist. conscr. §. 42 p. 55 R.) imposuit, inter inscriptiones librorum erat creberrima, id quod Plinius hist. nat. praef. §. 24 et Gellius praef. 6 testantur. Sic „Aurelius Opilius .... libros Musarum inscripsit“ (cf. Gell. 1, 25, 17 et Suet. de illustr. gramm. §. 6). Deinde „*Κεφαλίων ἔγραψε παντοδαπὰς ἱστορίας ἐν βιβλίοις θ', ἅτινα ἐπιγράφει Μούσας*“ (cf. Suid. s. h. v. et Phot. cod. LXVIII p. 34 Bekk.) atque „*Βίωνος φέρεται ἐννέα βιβλία Μουσῶν ἐπιγραφόμενα*“ (cf. Laërt. Diog. IV, 58).

[23]) Isaacus Tzetza l. l. p. 263 adeo discessit a vero, ut diversorum generum poëtis commixtis Theocritum et Aratum et Nicandrum et Aeantidem aut Apollonium et Philiscum et Homerum tragicum et Lycophronem una heptade comprehenderet (cf. schol. in Theocr. p. 2 Ahrens. et Eustath. comm. in Hom. Odyss. 5, 272 tom. I p. 216 Daw.). Sed Naekius „schedis criticis“ (cf. Opusc. I p. 1 sqq.) effecit, ut et hae ineptiae et *πλειὰς* comicorum commenticia, quade Fabricius bibl. Graec. vol. II p. 318 Harl. et Klippelus l. l. 304 disserunt, hodie extabuerint.

cipes appellati sunt Aeschylus et Sophocles et Euripides. [24]) Dicuntur a Pausania I, 21, 1 „*οἱ φανεροὶ*“ (cf. „*τραγῳδίας δὲ κεῖνται τῶν φανερῶν Εὐριπίδης καὶ Σοφοκλῆς.... τὴν δὲ εἰκόνα τὴν Αἰσχύλου πολλῷ ὕστερον τῆς τελευτῆς δοκῶ ποιηθῆναι*“). Sed hos tres principes censura grammaticorum Alexandrinorum e choro tragicorum electos esse ne opineris, caveas. Iam enim pridem Athenienses longe maximas laudes tragicis illis egregiis impertiebant atque lege Lycurgi notissima, qua praescriberetur, ut Aeschyli, Sophoclis, Euripidis imagines aureae ponerentur eorumque tragoediae exscriptae publice asservarentur (cf. Plut. vitt. X oratt. p. 841 F.), ipsorum iudicium sanciendum curaverunt. Heraclides deinde Ponticus „*περὶ τῶν τριῶν τραγῳδοποιῶν*“ teste Laërtio Diogene V, 88 scripsit. Quamvis vero tres illi poëtae nobilitate florerent eorumque praecipue Euripides, tamen numquam fabularum quae in scaena agerentur, numerus coartatus est; sed qua de re recte disseruit Welckerus tragoed. gr. vol. III p. 1313 sqq., praeter illorum principum fabulas etiam aliorum tragoediae quin doctae sint semper, dubitari non potest. Ceteroquin non normae, verum indicis [25]) fragmenti speciem prae se ferunt ea, quae Isaacus Tzetza l. l. p. 256 tradit: „*τραγῳδοὶ ποιηταί· Ἀρίων, Θέσπις, Φρύνιχος, Αἰσχύλος, Σοφοκλῆς, Εὐριπίδης, Ἀχαῖος καὶ ἕτεροι μυρίοι νέοι*“. Atque haec verba nescio an Ioannes frater *περὶ διαφορᾶς* p. 337 Cram. in angustius contraxerit. Praecepit enim:

> „*Τραγῳδίας μάνθανε τοὺς διδασκάλους*
> *Θέσπιν, Φρύνιχον, Αἰσχύλον, Σοφοκλέα,*
> *ὕστατος αὐτὸς Εὐριπίδης Μνησάρχου*“. —

---

[24]) cf. Cicer. de orat. III, 7, 27; Dionys. Hal. p. 422 sqq. R.; Velleium Paterc. I, 16; Quintil. l. l. §. 66 sqq.; Plut. de glor. Athen. c. 5; Aristid. orat. 50 p. 559 Dind.; Melamp. schol. Dionys. Thr. l. l. p. 746; Ioann. Tzetz. ad Hesiod. p. 14 Gaisf.

[25]) Significantur ei indices tragicorum, ut mihi videtur, apud Suidam s. v. *Θέσπις·* „*τραγικὸς ἑκκαιδέκατος ἀπὸ τοῦ πρώτου γενομένου τραγῳδιοποιοῦ Ἐπιγένους τοῦ Σικυωνίου τιθέμενος, ὡς δέ τινες δεύτερος μετὰ Ἐπιγένην.*“

Comicorum age Graecorum qualis quem Ruhnkenius dixit, fuerit delectus, excutiamus. Namque „ex antiquae comoediae, ait, scriptoribus recepti sunt Epicharmus, Cratinus, Eupolis, Aristophanes, Pherecrates, Plato.“ Qua in re cum plane nomina ex tabulae Coisl. paragrapho quinta transcriberet, duplici ratione per errorem lapsus est. Illa enim in paragrapho, quae quamvis *κωμῳδοποιοὶ ἀρχαίας ζ′* inscripta sex tantum nomina continet, post Pherecratem Cratetis nomen intercidit atque hoc ex tabula Bodl. (§. XIII) petatur oportet. Deinde quod Epicharmum Siculum inter scriptores comoediae Atticae illius tabulae auctoritate pervictus enumeravit, Ruhnkenio dandum est vitio neque dubium videtur, quin is error, quo etiam anonymus *περὶ κωμῳδίας* tenetur (cf. Meineki hist. crit. com. graec. p. 535, 13: „*τῶν τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ποιητῶν εἰσιν ἀξιολογώτατοι· Ἐπίχαρμος, Μάγνης, Κρατῖνος, Κράτης, Φερεκράτης, Φρύνιχος, Εὔπολις, Ἀριστοφάνης*“), ab Alexandrinis non manaverit. Quod si conceditur, utrum aliunde eorum normam rimari possimus necne, quaestio cadit in cogitationem. Perhibentur a plerisque, quemadmodum tragoediae, ita comoediae priscae hercule sane tres principes Cratinus et Eupolis et Aristophanes. [26]) Hos igitur ex Aristophanis Aristarchique sententia ceteris palmam praeripuisse Rankius l. l. p. CXIX suspicatus est atque eam coniecturam imprimis verbis, quae Platonius profert (cf. Meinekium l. l. p. 534, 1 „*Κρατῖνος ὁ τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας ποιητὴς ἅτε δὴ κατὰ τὰς Ἀρχιλόχου ζητήσεις*“ e. q. s.) quaeque Meinekius ita emendaverat in „Quaestt. Scen.“ I p. 19, ut pro „*κατὰ τὰς Ἀρχιλόχου ζητήσεις*“ poneret „*περὶ τοὺς Ἀριστάρχου ζητήσεις*“, his verbis, inquam, audacissime mutatis Rankius confirmare studuit. Sed ipse Meinekius hist. crit. com. graec. p. 53 illam emendationem recte repudiavit, ita ut testimonium fictum evanuerit.

---

[26]) Consentiunt de ea re Horatius sat. 1, 4, 1; Dionys. Hal. art. rhet. c. 8, 11 p. 302 R. (cf. p. 413); Velleius Paterculus I, 16; Quintilianus l. l. §. 66; Marius Victorinus gramm. latt. vol. VI p. 78 Keil. et compluries; anonymus *περὶ κωμῳδίας* in Crameri anecd. Paris. vol. I, 4; aliique. Contra Ioannes Tzetza prol. in Hes. p. 13 comicorum exempla Aristophanem, Eupolim, Pherecratem proponit.

Etiamsi vero id quod prorsus equidem infitior, Ranki opinio certa indubitataque esset, tamen Alexandrini irrita praecepta dedisse viderentur. Primum enim hoc tam plane cogitur ex verbis Isaaci Tzetzae l. l. p. 256 „*κωμῳδοὶ πραττόμενοι* (cf. adnot. 21) *Κρατῖνος, Πλάτων, Εὔπολις, Φερεκράτης, Ἀριστοφάνης*“, ut opus non sit uberius tractare. Deinde si Aristophanes et Aristarchus comicos in genera descripsissent et praestantissimos quosque delegissent, quam ea norma veterum consensus non sit patratus, nemo erit qui non percipiat. Nam diversissimis utebantur rationibus poëtas comicos inter aetates dispertiendi. Erant, qui mediam comoediae aetatem a vetere et nova non seiungerent, sed comicos in duos dumtaxat ordines distribuerent. Sicut enim Quintilianus et Isaacus Tzetza ll. ll. de media comoedia omnino tacent, sic eam Velleius l. l. nescio an ignoraverit. Namque „una, ait, neque multorum annorum spatio divisa aetas per divini spiritus viros Aeschylum, Sophoclem, Euripidem inlustravit tragoediam, una priscam illam et veterem sub Cratino, Aristophane et Eupolide comoediam; ac novam [comicam] Menandrus aequalesque eius aetatis non magis quam operis Philemo ac Diphilus et invenere intra paucissimos annos neque imitandum reliquere.“ Sed qui comoediam tripartitam esse vellent, eos ipsos inter se valde discrepuisse quis est quin miretur? Etenim Diomedes gramm. latt. vol. I p. 488 sq. Keil. narravit: „poëtae primi comici fuerunt Susarion, Mullus et Magnes..... secunda aetate fuerunt Aristophanes, Eupolis et Cratinus..... tertia aetas fuit Menandri, Diphili, Philemonis.“ Simillima Ioannes Tzetza *περὶ διαφορᾶς* p. 336 Cram. protulit: „*πρώτης [κωμῳδίας] εὑρετὴς Σουσαρίων. τῆς δευτέρας... ἦν Κρατῖνος, Εὔπολις, Φερεκράτης, Ἀριστοφάνης Ἕρμιππός τε καὶ Πλάτων καὶ τῆς τρίτης... ἦν Μένανδρος καὶ Φιλήμων.*“ [27]) Melampus autem scholiasta Dion. Thr. l. l. p. 749 haec praebet: „*τῆς δὲ παλαιᾶς [κωμῳδίας] ἐπίσημος Κρατῖνος... μετέσχον δέ τινος χρόνου τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας Εὔπολίς τε καὶ Ἀριστοφάνης, τῆς δὲ μέσης καὶ αὐτῆς μὲν πολλοὶ γεγόνασιν, ἐπίσημος δὲ Πλάτων... τῆς δὲ νέας ἐπίσημος ὁ Μένανδρος*“. Porro anonymus *περὶ κωμῳδίας* (Mein. l. l. p. 539, 4 „*γέγονε δὲ τῆς πρώτης κωμῳδίας ἄριστος οὗτος ὁ Ἀριστοφάνης καὶ Εὔπολις, τῆς δὲ δευτέρας Πλάτων, τῆς δὲ τρίτης Μένανδρος*“) et anonymus Crameri l. l. p. 4 et alii Platonem ab Aristophane ceterisque poëtis diserte separaverunt atque mediae comoediae principem appellaverunt. Sed rectius, quode Meinekius l. l. p. 160 disputat, Plato continuationi Aristophanis, Phrynichi, aliorum (cf. Suid. s. v. *Πλάτων* „*Ἀθηναῖος κωμικὸς, γεγονὼς τοῖς χρόνοις κατὰ Ἀριστοφάνην, Φρύνιχον, Εὔπολιν καὶ Φερεκράτην*“) annectitur priscaeque comoediae fertur poëta. [28]) Quam ad opinionem qui accessit, auctor scriptorum tabb. Coisl. §. 7 et Bodl. §. X ex comicis mediae aetatis eius, quam dicere nunc plurimis placet, Antiphanem et Alexim proposuit. Si igitur quis cum Ruhnkenio a grammaticis Alexandrinis eos probatos esse opinari velit, suam sibi habeat coniecturam! Sed nos ut magis magisque illarum tabularum fidem despiciamus, adducti iustis causis sumus. Praeterea unicuique verba anonymi *περὶ κωμῳδίας* qui eandem distribuendi viam ingressus est (p. 537, 6 Mein. „*τῆς μέσης κωμῳδίας.. εἰσὶν ἀξιολογώτατοι Ἀντιφάνης καὶ Στέφανος*“), scrupulos iniciant necesse est. Neque erat, cur eum locum Alexide pro Stephano substituto Meinekius nimio coniciendi studio permotus corrigeret. At heus, ecquid vides Apuleium flor. libr. III num. 16 tradidisse? Qui cum dicit: „poëta fuit Philemon mediae comoediae scriptor. Fabulas cum Menandro in scaena dictavit certavitque cum eo: fortasse impar, certe aemulus,“ nonne hac in descriptione comoediae, qua ei comici, quos alii novae comoediae annumerant, inter poëtas mediae

---

[27]) cf. Ioannis Tzetzae prolegom. in Aristoph. p. 113 sq. Keil. Hunc locum, quo Tzetza inter poëtas mediae comoediae Hermippum praetermisit, anonymus Crameri l. l. p. 7 exscripsit (cf. adnot. 1).

[28]) Ipsa comoedia antiqua temporum distinctione in peculiares partes a nonnullis videtur esse distributa. Nam Suidae ex verbis s. v. *Ἀριστομένης* „*Ἀθηναῖος κωμικὸς τῶν ἐπιδευτέρων τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας, οἳ ἦσαν ἐπὶ τῶν Πελοποννησιακῶν*“ et s. v. *Φρύνιχος* „*Ἀθηναῖος κωμικὸς τῶν ἐπιδευτέρων τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας*“ Meinekius quidem l. l. p. 211 perspexit veteres criticos comoediae poëtas in duas quasi classes dispescuisse, in antiquiores qui ante bellum Peloponnesiacum inclaruissent, et sequiores qui ipsis belli temporibus florerent! Sed „*τοὺς ἐπιδευτέρους*“ esse potius inferiores aetate

referuntur, maxime offendimus? Si vero grammatici Alexandrini comoediae genera aetatibus distinxissent et comicorum praestantiam diiudicassent et optimos cuiusque aetatis commendassent quasi normam, num verisimile est futurum fuisse, ut qui ad antiquam et qui ad mediam et qui ad novam pertinerent comoediam, veteres inconstantissime statuerent? Adde, quod quos tandem illi grammatici delegerint, longe incertissimum est. Cum enim ne novae quidem comoediae de scriptoribus quidquam rati enucleari possit, numeri quos definisse dicuntur, nusquam comparent.

Relinquitur igitur, ut de comicis novis veterum testimonia persequar: anonymus narrat p. 537 Mein. „*τῆς δὲ νέας κωμῳδίας… ἀξιολογώτατοι Φιλήμων, Μένανδρος, Δίφιλος, Φιλιππίδης, Ποσείδιππος, Ἀπολλόδωρος*; in tabula Coisl. (§. 7) exstant Menander, Philippides, Diphilus, Philemon, Apollodorus; ex his scriptor tabulae Bodl. (§. XI) sive casu sive consilio omisit Apollodorum; tria nomina Menandri et Philemonis et Diphili Velleius et Marius Victorinus et Diomedes ll. ll. commemoraverunt atque in ternario acquievit numero etiam Isaacus Tzetza l. l. p. 257, qui quidem profitetur „*κωμῳδοὶ νέοι· Μένανδρος, Φιλήμων, Φιλιστίων*“ (cf. Bernhardyi hist. litt. gr.[3] II, 2, p. 554); cum Menandro Philemonem, qui „consensu omnium meruit credi secundus“, Quintilianus l. l. elegit eosdemque Ioannes Tzetza *περὶ διαφορᾶς* p. 337 Cram. (cf. Tzetzae prolegom. in Arist. p. 114 Keil. et Crameri anecd. Paris. vol. I p. 7) et alii scriptores praedicaverunt (cf. p. 542, 25 p. 544, 20 Mein.); unum novae comoediae principem dixit Menandrum Melampus schol. Dion. Thr. p. 749: „*τῆς δὲ νέας [κωμῳδίας] ἐπίσημος ὁ Μένανδρος, ὃς ἄστρον*[29] *ἐστὶ τῆς νέας κωμῳδίας*“ neque alios nisi unum Menandrum anonymus p. 539, 5 Mein. et scriptor in Cram. anec. l. l. p. 4 protulerunt. Quibus de rebus cum veteres oppido in contrarias sen-

intellegendos qui putet, ne is minus procul a vero absit, equidem timeo. Cum deinde Suidas tradit s. v. *Ἀλκαῖος* „*κωμικὸς τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας πέμπτος*“, aut eum inter *τοὺς ἐπιδευτέρους τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας*, quos modo diximus, locum obtinuisse aut de tabula alphabetica cogitandum esse Volkmannus de Suid. biogr. p. 27 haud inepte arbitratus est.

[29]) cf. Eustath. comm. in Odyss. libr. XVII v. 108 (tom. II p. 94 Daw.)

tentias discessisse ostenderim, si quidquam, hoc apparet aut comicorum delectum Aristarchum et Aristophanem non instituisse aut si de eis iudicarint, eorum iudicia nihili esse facta. —

B.

De comicis postquam exposuit, Ruhnkenius canonem poëtarum absolvit atque cum in tabulae Coisl. ea parte, ex qua „*κρίσιν*“ Alexandrinorum colligi posse putavit, cetera poësis genera desint, ad scriptores pedestres transgressus est. Attamen non fuit, ut supra demonstravimus, cur auctoritati tabulae Coisl. quasi in servitutem Ruhnkenius se addiceret, neque ulla re impedimur, quominus canonem eius, quantum libet, amplificemus. Ut enim alia poësis genera omittam, de quibus Proclus et Isaacus Tzetza ll. ll. explicaverunt, quidni dithyramborum quoque scriptores percensuisse et probatissimos scholis destinasse grammatici Alexandrini putentur? Cum enim Diodorus libr. XIV, 46, 6 Dind. edoceat „*οἱ ἐπισημότατοι διθυραμβοποιοὶ Φιλόξενος Κυθήριος, Τιμόθεος Μιλήσιος, Τελέστης Σελινούντιος, Πολύειδος*“ atque Philoxenum, Timotheum, Telestem Dionysius Hal. *περὶ συνθ. ὀνομ.* c. 19 (p. 132 R.) quasi principes laudet, hos scriptores quodam modo consentire ideoque ab Alexandrinis pendere contendamus nonne licet? Quos igitur fines et terminos disciplinis ludorum Aristophanes Aristarchusque constituerint, quis est qui diiudicare conetur? At vero ne hoc quidem satis certum esse mihi videtur, proposueritne uterque iambographorum delectum, an soli Aristarcho, quippe cui illum ordinem vel numerum Quintilianus assignet, ea laus impertienda sit.

Sed quorsus tantam operam consumpsimus? Poëtarum censum a grammaticis Alexandrinis actum esse minime negamus. Verum declarare intendimus, quomodo hic delectus conformatus

et Christodor. ecphr. (Anthol. Palat. II):

„*ἑστήκει δὲ Μένανδρος, ὃς εὐπύργοισιν Ἀθήναις*
ὁπλοτέρου κώμοιο σελασφόρος ἔκπρεπεν ἀστήρ.“

Utrum Christodorus duas tantum aetates comoediae cognovit, an easdem atque Apuleius rationes est secutus?

sit, percipere nos nequire atque quo diligentius deliberemus illamque normam indagemur, eo magis ex oculis istam elabi. Sane canonem in usum scholarum propositum ea auctoritate, qua Ruhnkenius voluit, per totam antiquitatem nequaquam valuisse mirum non est. Neque enim omnium hominum studia tenere potuit vel eam propter causam, quod ipsi grammatici Alexandrini extra ludos praeter eos poëtas, quos in illis legendos curabant, alios quoque scriptores tractabant. Quin etiam Aristophanes Byzantius ad orationis solutae scriptores, qui ab erudiendis iuvenibus sine dubio arcebantur, se conferre non veritus Platonis dialogos in trilogias divisit (cf. adnot. 10). Sic cum intra scholas tres, qui antea existimati erant, principes Aeschylum, Sophoclem, Euripidem enarratos esse verisimillimum sit, Aristarchus et Didymus Ionem tragicum extra scholas, ut puto, commentati sunt.[30]) Sic aliis alios scriptores placuisse credibile est. Itaque Graecos eadem atque Latinos scriptores varietate fortunae iactatos et casu potius quam consilio eos, qui integri manserunt, servatos esse ex his argumentis efficitur. Neque tamen ulla aetate hominum tantopere erant obtunsa ingenia neque unquam animis tanta inscitia inerat, quin ex eis scriptoribus, quibus vulgo palma deferebatur, pauci conservarentur. Omnibus enim temporibus critici, quorum semper magna videtur fuisse copia (cf. Horat. epist. II, 1. 50 sq. „Ennius... alter Homerus, ut critici dicunt"), hominum animos quodam modo regebant, cum mentes liberalibus opinionibus imbuerent, atque impediebant quominus monumenta ingeni humani venustissima et grandissima coli observarique desinerentur. At quantum equidem iudicare possum, non Aristophanis Aristarchique sed suis legibus usi sunt.

Si vero apud veteres poëtarum Graecorum numeri certis terminis circumscripti, velut ordines lyricorum et tragicorum *πλειάς*, crebro inveniantur, eos ad auctoritatem grammaticorum Alexandri-

[30]) cf. Athen. libr. XIV p. 634 *„Ἴων ὁ Χῖος... ὅπερ ἐξηγούμενος ἰαμβεῖον Ἀρίσταρχος ὁ γραμματικός"* et libr. XI p. 468 *„παρὰ Ἴωνι ἐν Ἀγαμέμνονι ...φησὶν ὁ Δίδυμος"*. Vide igitur, ne titulis librorum Aristophanis aut Aristarchi aut Didymi ad imaginem canonis delineandam te adiuvari putes. Deinde qua ruina vel nomina eorum librorum oppressa sint, oblivisci noli.

norum utique referendos esse quam vana et futtilis sit opinio, satis superque mihi videor demonstrasse. Verum enim vero metuendum est, ne pedestrium scriptorum, quorum genera sciscitando exsequi tempus est, numeri ab officiis illorum multo minus originem traxerint.

Iam ad **oratorum Atticorum,** quae dicitur, decadem progrediamur. Priscae eloquentiae Atticae delectus quod aliquando institutus est atque probatissimorum in numerum decem oratores recepti sunt, huius rei testimonia quae Meierus opusc. vol. I p. 120 sq. collegit, a veteribus affatim dantur. Sunt decadis Antiphon Andocides Lysias Isocrates Isaeus Lycurgus Demosthenes Aeschines Hyperides Dinarchus.[31]) Quae quo tempore sit confecta, inquirendum est. Hunc delectum, ut recte percepit Meierus l. l. p. 132, et Panaetius Stoicus, qui Aristarcho aliquot annis minor erat[32]) et Scipionem Africanum Minorem in Aegyptum comitatus est (cf. Cic. Acad. II, 25), et Demetrius Magnes Ciceronis aequalis ignorasse videntur. Quibus si decas oratorum innotuisset, hic in libro *„περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν καὶ συγγραφέων"* (cf. Dion. Hal. de Din. iud. c. 1 p. 631 R.) Dinarchum non summatim oratorem *„ἐκ τῶν Ἀττικῶν"*, sed potius *„ἐκ τῶν δέκα ῥητόρων τῶν Ἀττικῶν"* dixisset, Panaetius autem non scripsisset: *„Δημοσθένης... οὐκ ἐν τῷ κατὰ Μοιροκλέα καὶ Πολύευκτον καὶ Ὑπερείδην ἀριθμῷ τῶν ῥητόρων, ἀλλ' ἄνω μετὰ Κίμωνος καὶ Θουκυδίδου καὶ Περικλέους ἄξιος ἦν τίθεσθαι"* (cf. Plut. vit. Demosth. c. 13). Deinde Cicero in libris rhetoricis quotiescumque historiam eloquentiae Atticae tractat, non modo decadem non commemoravit, sed ne uno quidem verbo Andocidis et Isaei mentionem fecit. Verum „Demostheni, ait Cicero Brut. 9, 36, Hyperides proximus et Aeschines fuit et Lycurgus et Dinarchus et is,

[31]) Si consulto in tabula Coisl. (§. 10) ex illis Dinarchus et in tabula Bodl. (§. III) Isaeus praetermissus est, id ne flocci quidem pendimus.

[32]) Aristarchus circa olymp. 156/157 (cf. Ritschelium l. l. p. 73) vel circa olymp. 159/160 (cf. Schmidtium in Philol. vol. VII p. 368), Panaetius autem circa a. u. 642 mortuus est (cf. Baehrium in Paulyi encycl. vol. V p. 1102).

cuius nulla exstant scripta, Demades aliique plures. Haec enim aetas effudit hanc copiam et ut opinio mea fert, sucus ille et sanguis incorruptus usque ad hanc aetatem oratorum fuit, in qua naturalis inesset, non fucatus nitor. Phalereus enim successit eis senibus adulescens.... hic primus inflexit orationem" atque paulo post (82, 285) Cicero haec tradit: „illud etiam quaero, Phalereus ille Demetrius Atticene dixerit? Mihi quidem ex illius orationibus redolere ipsae Athenae videntur.... Et quidem duo fuerunt per idem tempus dissimiles inter se, sed Attici tamen: Charisius... Demochares. At Charisi vult Hegesias esse similis isque se ita putat Atticum, ut veros illos prae se paene agrestes putet: at quid est tam fractum, tam minutum e. q. s.?" Ex his nonne luculenter apparet tantum abfuisse, ut Cicero decem oratores ab aliis Atticis separatos esse sciret, ut quinam potissimum essent oratores Attici, suo ipse arbitrio definiret? Quid quod plurimos eorum, qui tunc in eloquentia studium collocarent, ab Atticorum rationibus dicendi alienissimos fuisse Cicero testatur (cf. de orat. II, 23, 95 „hodie Alabandensem Meneclem et eius frater Hieroclem, quos ego audivi, tota imitatur Asia")?

Item artis rhetoricae magistri minime e delectu, sed e tota cohorte oratorum ad praecepta illustranda exempla tunc derivasse putandi sunt. Quamquam enim Ruhnkenius affirmavit rationem omnes oratores et poëtas ad imitandum proponendi, quam antiquissimi magistri sequerentur, Ptolemaeorum aetate mutatam esse, tamen obloqui debemus, quod ei coniecturae notabile Gorgiae repugnat testimonium. Hic rhetor qui Athenis Ciceronis filio praecepta declamandi tradidit (cf. Cic. epist. XVI, 21 et Plut. vit. Cic. c. 24), libros quattuor *περὶ σχημάτων διανοίας καὶ λέξεως* composuit atque in eis, quos sermone Latino interpretatus in duos libros Rutilius Lupus contraxit, non modo ex Lysia et Lycurgo et Demosthene et Hyperide et Dinarcho, verum ceteris decadis oratoribus neglectis etiam e Pythea (I, 11 et 14) Stratocle (I, 9 et II, 20) Demochare (I, 20) Demetrio Phalereo (I, 1 et II, 16) Charisio (I, 10 et II, 6 et II, 16) Hegesia (I, 7 et I, 11 et II, 2) Cleochare (I, 2 et 10) Isidoro (II, 16) Myrone (I, 20 et II, 1) Daphnide (I, 15) Sosicrate (I, 18 et II, 13) plurima exempla sumpsit.

At vero si ulla floreret tum canon oratorum auctoritate, eam normam hunc in modum Gorgiam despecturum fuisse nemo nisi Ruhnkenius contendere ausit. Porro qui aetate paulo inferior erat Gorgia, Dionysius Halicarnassensis decadem sine dubio ignoravit. Postquam enim Dionysius in libro *περὶ ἀρχαίων ῥητόρων* c. 1 sqq. p. 445 R. diserte enuntiavit eloquentiae propemodum exstinctae studia aequales tum demum melius colere incepisse eiusque commutationis parentem esse Romam, utpote quae omnium gentium domina oculos in se converteret, sese dicturum esse profitetur, „*τίνες εἰσὶν ἀξιολογώτατοι τῶν ἀρχαίων ῥητόρων τε καὶ συγγραφέων*", atque addit: „*οὐδέ που μὰ Δία κοινὰ οὐδὲ καθημαξευμένα τοῖς πρότερον· ἐγὼ γοῦν οὐδεμιᾷ τοιαύτῃ περιτυχὼν οἶδα γραφῇ, πολλὴν ζήτησιν αὐτῶν ποιησάμενος.*" Cum igitur haud vulgares res se tractaturum esse neque eiusmodi scripta vidisse doceat, quid mirum si suum iudicium secutus ex antiquioribus oratoribus Lysiam, Isocratem, Isaeum, ex posterioribus Demosthenem, Hyperidem, Aeschinem „*ἀξιολογωτάτους*" existimavit? (cf. p. 451 R. „*οὓς ἐγὼ τῶν ἄλλων ἡγοῦμαι κρατίστους*" et cf. p. 628 R. „*τὸν δὲ τὸν τρίτον Ἰσαῖον, εἴ τις ἔροιτο με, τίνος ἕνεκα προσεθέμην, Λυσίου δὴ ζηλωτὴν ὄντα, ταύτην ἂν αὐτῷ φαίην τὴν αἰτίαν, ὅτι μοι δοκεῖ τῆς Δημοσθένους δεινότητος.... τὰ σπέρματα καὶ τὰς ἀρχὰς οὗτος ὁ ἀνὴρ παρασχεῖν*"). Cum vero in libro „*περὶ μιμήσεως*" (p. 431 sqq. R.) ab illa ratione paululum aberrans ex illis sex principibus ad imitandum quinque commendaret, verum loco Isaei Lycurgum poneret, firma norma Dionysius ipse prorsus caruisse mihi videtur. Denique de Dinarcho Dionysius commentarium scripsit, non quo omnium iudicio in numerum probatissimorum receptus esset, sed quod „*τοῦτον τὸν ἄνδρα παρὰ πολλοῖς ἠξιωμένον ὀνόματος ἐπὶ δεινότητι λόγου*" vidisset (cf. de Din. iud. c. 1 p. 630 R.).

Eorum vero, qui decadis oratoriae mentionem fecerunt, ut vere Meierus l. l. p. 128 ostendit, primus est Caecilius Calactinus. Docuit Caecilius amicus Dionysi (cf. Dion. epist. ad. Cn. Pomp. c. 3 p. 777 R.) Augusto imperante Romae artem rhetoricam atque cum alios tum libros composuit, qui ad oratores Graecos pertinuerunt. Huius generis opus fuit „*περὶ τοῦ χαρακτῆρος τῶν δέκα*

ῥητόρων“ (cf. Burckhardti dissert. de Caecil. Rhet. fragm. p. 6 sqq.). Cum autem Caecilius, cuius iudicium apud posteros multum valuit (cf. Burckhardtium l. l. p. 10), sive suo consilio motus sive alii magistro aequali assensus decem oratores a reliquis segregasset, hic numerus in hominum ora paulatim abiit. [33]) Alexandria vero eum Romam delatum esse neque traditum est neque ut suspicemur, ullius causae umbra dantur ansae. At cur decem potissimum oratores probati sint, nos in incerto relinquimus eisque ab cogitationibus animos abduci malumus. Etenim Ranki (l. l. p. CXIII) sententiam Meierus l. l. p. 126 recte refellit et Meieri opinionem Burckhardtus l. l. p. 11 impugnavit. Caecilium ad solas historiae leges respicientem eos, qui tum plurimi aestimarentur, Atticos oratores elegisse hic arbitratus est. Sed alii aliis coniecturis fortasse augurabuntur. Quod vero tenendum est, iam supra cum de lyricis poëtis disputaremus, cognovimus numero denario tamquam numero sacro ad ordines definiendos veteres usos esse. Posterioribus autem temporibus etiam aiteram decadem e recentioris aevi rhetoribus sive sophistis confectam esse

---

[33]) An Didymus commentarios rhetoricos, quorum decimus liber apud Ammonium de diff. voc. p. 98 Valck. citatur („Δίδυμος ἐν δεκάτῳ ῥητορικῶν ὑπομνημάτων“), in decadem oratorum quadraverit, maxime dubium est. Cum enim illi commentarii ab eis, quos Didymus in Demosthenem et in Aeschinem et in Hyperidem et in Isaeum conscripsit, alieni non videantur neque aliorum orationes praeter illos quattuor oratores Didymum enarrasse probari possit (cf. Schmidtium, Didym. fragm. p. 310 sqq.), opinio illa incertissima est.

Continuo vero Caecili canonem ab omnibus non esse sancitum ex eo colligo, quod neque Tacitus dialog. de orat. c. 25, 10 neque Plinius epist. I, 20, 4 de decade verba faciunt. Quibus locis cur eam praeterirent, non habebant, si iam tum eius notitia vulgata erat. Ipse Quintilianus libr. X, 1, 76 sqq., qui illius mentionem iniecit (cf. „sequitur oratorum ingens manus, ut cum decem simul Athenis aetas una tulerit“), de Demosthene et Aeschine et Hyperide et Lysia et Isocrate diserte disputavit, ceterorum nomina omisit, uberius de Demetrio Phalereo exposuit. Atque alio loco Quintilianus (XII, 10, 20) inter Atticos Coccum et Aristogitonem enumerare non dubitavit Dinarchumque prorsus reliquit et de Atticis ita disseruit, ut qua norma numerus, quem priore loco mirum in modum, commemoraverat, optimorum oratorum Atticorum constitutus esset, eum oblitum esse putemus.

testantur Suidas (s. v. *Νικόστρατος· „ἐτάχθη ἐν τοῖς κριθεῖσιν ἐπιδευτέροις δέκα ῥήτορσιν“*) et scholiasta Luciani de saltat. 69 p. 144 Iac. (*„Νικόστρατος καὶ Φιλόστρατος οἱ ἐν τοῖς ί νεωτέροις σοφισταῖς διαπρέποντες“*) et Philostratus vitt. soph. II, 1, 14 (*„τῆς Ἑλλάδος καλούσης Ἡρώδην ἕνα τῶν δέκα“*) et Leontius Scholasticus epigrammate (Anthol. Pal. VII, 573), quo Chiridium rhetorem ob insignem eloquentiam et probitatem *„εἰκόνα ῥητόρων τῆς προτέρης δεκάδος“* dixit. Sed de hoc satis metuoque ne nimium putes.

Transeundum ad **Historicos,** ex quibus Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Theopompum, Ephorum, Anaximenem, Callisthenem ab Alexandrinis delectos esse Ruhnkenius affirmavit. Quae nomina unde petiverit, cognitu haud ita facile est. Nam in tabula Coisl. (§. 11) *ἱστορικοί ί* proponuntur *„Θουκυδίδης, Ἡρόδοτος, Ξενοφῶν, Φίλιππος, Θεόπομπος, Ἔφορος, Ἀναξιμένης, Καλλισθένης, Ἑλλάνικος, Πολύβιος.“* Sane Polybium Alexandrini recipere non potuerunt. Ut igitur tabulae Coisl. scriptorem de oratoribus, quorum non decadem, sed novem tantum nomina hic

---

Omnino vero canonem, quem Ruhnkenius finxit, Dio Chrysostomus (cf. orat. XVIII *περὶ λόγου ἀσκήσεως*) non novit. Namque Menandri, Euripidis, Homeri, Herodoti, Thucydidis, Theopompi, D e m o s t h e n i s, L y s i a e, H y p e r i d i s, A e s c h i n i s, L y c u r g i, Antipatri, Theodori, Plutionis, Cononis — hi sunt rhetores recentiores — libros pervolutari summoque studio legi iussit! Quae cum ita sint, primo nostrae aetatis saeculo dignitate decas haud ita multum pollebat. Sed rhetores etiam posteriores in exemplis derivandis ad normam decadis saepenumero sese non adstrinxerunt (cf. Meierum l. l. p. 134) neque Hermogenes *περὶ ἰδεῶν* II, 11 (rhett. Graec. vol. II p. 415 sqq. Speng.) decem oratorum coniunctioni Critiam adicere veritus est, ita ut Demostheni primas, *„τοῖς λοιποῖς τῶν δέκα“* secundas, Critiae tertias tribueret. Contra imprimis *„οἱ Ἀττικισταί“* qui dicuntur, effecisse videntur, ut decem oratorum canon valeret. Quorsus enim, inquam, ad auctoritatem Phrynichi quippe qui *„εἰλικρινοῦς καὶ καθαροῦ καὶ Ἀττικοῦ λόγου κανόνας καὶ στάθμας καὶ παράδειγμα Δημοσθένην μετὰ τοῦ ῥητορικοῦ τῶν ἐννέα χοροῦ“* commendasset, Photius biblioth. cod. 61 p. 20 Bekk. (cf. cod. 148 p. 101 Bekk.) nos revocavit? Ruhnkenius vero cum alia, quae paucis absolvimus, tum Photi verba quod neglexit, dolendum est.

habet (cf. adn. 30), sequi subito desiit, ita Ruhnkenius putavit istum historicorum ordinem ab Alexandrinis alienum esse. Sed apud veteres scriptores ubi tandem historicorum heptadem invenit? Cicero de orat. II, 13, 55 sqq. Herodotum, Thucydidem, Philistum, Theopompum, Ephorum, Xenophontem, Callisthenem, Timaeum aequis fere laudibus ornavit. Contra Dionysius Halic. p. 767 R. (cf. p. 424 sqq.) minorem numerum seiunxit atque „εἰς μίμησιν ἐπιτηδειοτάτους“ Herodotum et Thucydidem et Xenophontem et Philistum et Theopompum commendavit. Cuius verba Quintilianus quamquam exscripsit (X, 1, 73 sqq.), tamen non recusavit, quin illis adderentur Ephorus — quem quidem Strabo XIII p. 622 scriptorem non „κριθέντα“, sed „μνήμης ἄξιον“ dixit — et Clitarchus et Timagenes. Xenophontem autem inter philosophos sicut Quintilianus, sic Dio Chrysostomus l. l. rettulit. Ut Thucydidem, Herodotum, Theopompum homines legerent, hic rhetor suasit (cf. adn. 32). Discrepat aliquantum narratio Hermogenis l. l. p. 424, qui Theopompum, Ephorum, Hellanicum, Philistum proinde atque Herodotum, Thucydidem, Hecataeum, Xenophontem a Graecis imitatione dignos esse habitos denegavit. (cf. Philostr. vitt. Sophist. I, 17, 4 „Θεόπομπον καὶ Ἔφορον οὔτ᾿ ἂν διαβάλοιμεν οὔτ᾿ ἂν θαυμάσαιμεν.“) Atque iam Duris Samius (cf. Phot. cod. 176 p. 121 Bekk.) Ephorum et Theopompum prioribus historicis multum cedere statuerat. Ipse Photius l. l. cum Hellanico Philistoque Theompum comparare maluit. Quibus ex testimoniis cum consensus veterum minime appareat,[34]) sequitur

[34]) Imprimis opera Herodoti, Thucydidis, Xenophontis, Theopompi in usu fuisse videntur et quasi historicorum ad corpus, quod maximam et gravissimam partem historiae Graecorum apta continuatione comprehenderet conformata esse. Id enim corpus in breviorem historiam nescio an Aelius Aristides coartaverit eis libris, quibus „πάσας τὰς ἱστορίας“ — „τὰ πρότερα ὧν ἱστόρησεν Ἡρόδοτος“, „τὰ Ἡροδότου“, „τὰ Θουκυδίδου“, „ἅπερ εἶπεν ὁ Ξενοφῶν καὶ ὁ Θεόπομπος“ — complexus est (cf. Sopatr. prol. in Aristid. ed. Dind. vol. III p. 739). Hoc autem modo Xenophontis Ἑλληνικῶν forma, qua nunc feruntur, enodari potest. Dubitare enim nequimus, quin recentioribus temporibus, ut Thucydidis libros excipiant, constituta sint.

Deinde commemorare liceat in tabula Bodl. non modo cum historicorum

suo quemque iudicio de virtutibus historicorum disceptasse. Numerum vero historicorum septenarium, nisi me omnia fallunt, Ruhnkenius ipse ex libidine ita finxit, ut de decem tabulae Coisl. nominibus tria quae non apta viderentur, tolleret atque eum septem historicorum ordinem nomini Aristarchi et Aristophani adiceret. Quam igitur dubia et incerta Ruhnkeni fides sit habenda, apertum est. Historicorum autem, quorum chorum Alexandrinos diiudicasse veri specie quisquam vix confirmaverit, illum delectum a plerisque comprobatum esse post Ruhnkenium quis est quin miretur? Neque Wyttenbachius, cui Bergmannus Ruhnk. opusc. vol. I p. 387 adn. et Matterus l. l. p. 139 et Creuzerus libr. „Die historische Kunst der Griechen“ ed. II. p. 174 (cf. p. 304) aliique assensi sunt, cum in vita Ruhnk. p. 145 ei canoni Philistum, qui in tabula Coisl. pro „Philippo“ sine dubio substituendus est, et Clitarchum adiungeret, efficere potuit, ut res adiuvaretur. Schoellius autem l. l. p. 107 minus large liberaliterque Philistum dumtaxat addidit. Sed latius haec perscribere opus non est.

Canoni fine imposito Ruhnkenius alios scriptorum indices, qui in tabula Coisl. sequuntur, removit. Verum ut unum afferam exemplum, quid erat, cur eodem modo, quo historicorum numerum fabricatus est, aptissimos medicos e „πίνακι τῶν ἐν ἰατρικῇ διαπρεψάντων“ (tab. Coisl. §. 17 = tab. Bodl. §. V) non eligeret? Sane Democritus et Hippocrates idonei erant. At qua religione ab eo conatu Ruhnkenius repulsus est, alii obstricti esse noluerunt. Sic Wyttenbachius l. l. p. 146 (cf. p. 288), cuius sententiam Schoellius, Bergmannus, Matterus ll. ll. approbaverunt, **philosophorum** censum egit atque a grammaticis Alexandrinis contendit maximi aestimatos esse Platonem, Xenophontem, Aeschinem

πίνακα, quem tabula Coisl. habeat, (§. XVII) exstare, sed etiam alterum indicem: (§. IV) „Θουκυδίδης, Ἡρώδοτος (sic), Ξενοφῶν, ἀγγελεύας ἀρχάγγελος (ubi „Φίλιππος ὁ Θεαγγελεύς“ coniecit Cramerus, quode Müllerus fragm. hist. gr. vol. IV p. 477 dubitavit), Δομετιανός, Θεότιμος, Στέφανος, Μηνάς.“

Aristotelem, Theophrastum. Quod qua audacia fecerit, difficile est dictu. Legendos philosophos Pythagoreos, Xenophontem et Platonem, Aristotelem eiusque discipulos summatim proposuit commendatione Dionysius Halicarnassensis sive potius eius epitomator p. 430 R. . Laudavit Quintilianus l. l. §. 81 disserendi facultatem cum aliorum Socraticorum, tum Platonis Xenophontisque et loquendi suavitatem Aristotelis Theophrastique et rerum inventionem, qua acuti essent Stoici. Hermogenes autem l. l. Platoni, Xenophonti, Aeschini Socratico, quippe qui virtute „τοῦ ἁπλῶς πανηγυρικοῦ λόγου“ excellerent, praeconium tribuit. Hinc Wyttenbachius quinque illa nomina licentissime conquisivit neque intellexit eos, qui canonem constituerent, omnium praestantissimarum sectarum principes saltem debuisse recipere. Praeterea Laërtius Diogenes II, 47 cum inter Socraticos dignitate antecedere Platonem, Xenophontem, Antisthenem et ordine decem inferiorum (cf. „τῶν φερομένων δέκα διασημότατοι τέσσαρες· Αἰσχίνης, Φαίδων, Εὐκλείδης, Ἀρίστιππος“) Aeschinem teneri doceat, qua in re quantopere Graecos studium numeros ternarios et denarios perficiendi delectaverit, denuo apparet, Laërtius Diogenes, inquam, Wyttenbachi opinioni repugnat.

Postquam canones historicorum et philosophorum commenticios et oratorum decadem a grammaticis Alexandrinis alienam esse demonstratum est, hos ab existimatione scriptorum pedestrium, quae in munus illorum haudquaquam caderet, prorsus abstinuisse satis superque comprobasse atque laboris mei pensum peregisse mihi videor.

Restat igitur, ut res disperse dictas in unum locum cogamus et unum sub adspectum subiciamus: Scholarum in usum Aristophanes et Aristarchus poëtarum delectum confecerunt, ne carmina parum apta a ludorum magistris enarrarentur. At et huius delectus, ut ita dicam, classes praeter ordines epicorum et iambographorum incertissimae sunt et frustra de commodis incommodisque

eius normae certatur. Neque enim e ludis Alexandrinis haec ita pervulgabatur, ut critici in poëtis aestimandis iudicia ad eam dirigerent. Deinde id quod maximi est momenti, illam Alexandrinorum censuram nihil ad servandos libros antiquitatis contulisse vel ex eo colligitur, quod neque Antimachi aut Panyasis, qui cum Homero Hesiodoque recepti erant, neque iambographorum opera integra ad nostram pervenerunt aetatem.

Epimetrum.

Priscis temporibus alienorum nomina libris Graecos inscribere coepisse Onomacriti, qui *θεολογίαν* sub Orphei nomine edidit, ex luculento exemplo intellegimus. Sed non tam fraudulenter, quam ut doctrinas mysticas nomine eius, qui earum auctor existimabatur, ornaret, Onomacritus illud fecisse nobis videtur (cf. Bernhardyi hist. litt. gr. [3] II, 1, p. 427 sqq.). Semper enim ut quisque erat peritissimus, ita maxime illud opus Orphei symbolice dici pro certo habebat. Neque alio pacto per generalem quendam titulum, „*χρυσᾶ ἔπη*“ Pythagorae, quorum exemplum Chrysippus apud Gellium VII, 2, 12 Hertz. tradit, vulgo ferebantur (cf. schol. Arist. Berol. p. 17b „*καὶ γὰρ αὐτοὶ* [*οἱ Πυθαγόρειοι*] *ποιήσαντες τὰ Χρυσᾶ Ἔπη ἐπέγραψαν τὸ ὄνομα τοῦ οἰκείου διδασκάλου πρὸς τιμὴν αὐτοῦ*).

At iam pridem fuisse, qui poëtarum sapientiam compilarent et scripta aliorum pro suis praedicarent, verba Theognidis (v. 19 sq. Bergk.) indicant:

„*Κύρνε, σοφιζομένῳ μὲν ἐμοὶ σφρηγὶς ἐπικείσθω*
τοῖσδ᾽ ἔπεσιν, λήσει δ᾽ οὔποτε κλεπτόμενα.“

Sed et eorum, qui dolo malo aliis scriptoribus opera a se composita addicebant, numerus erat, ut puto, haud exiguus. Hippocratis enim primum editorem Thessalum, qui Hippocratis patris commentarios in pellibus aut in pugillaribus repertos disponeret et in unum colligeret, eis non pauca de suo, immo totos libros inseruisse Galenus saepius tradidit (cf. Sprengeli „Geschichte der Arzneikunde“ ed. Rosenbaum. vol. I p. 340). Proxime autem ad Galeni narrationem id accedit, quod Laërtius Diogenes refert libr. III, 25: „*ἔνιοί τέ φασιν, ὅτι Φίλιππος ὁ Ὀπούντιος τοὺς Νόμους αὐτοῦ* (i. e. Platonis) *μετέγραψεν ὄντας ἐν κηρῷ· τούτου δὲ καὶ τὴν Ἐπινομίδα φασὶν εἶναι.*“ Atque Platonis dialogos plerosque esse spurios et ex disputationibus aliorum desumptos Theopompus (cf. Athen. XI, 508c.) testatus est. Ipse deinde Aristoteles libros Leucippo suppositos commemorat (cf. de Xenoph. Zen. Gorg. c. 6 p. 980a, 7 „*καθάπερ ἐν τοῖς Λευκίππου καλουμένοις λόγοις γέγραπται*“), nisi is libellus Stagiritae abrogandus est. Quousque vero litterariae fraudis licentia processerit, facile ex eo intellegitur, quod Anaximenes sub nomine Theopompi ipso Theopompo vivo „*Τρικάρανον*“ librum famosum confecit ita ut a multis Theopompi haberetur (cf. Muelleri fragm. hist. Graec. vol. I p. LXXIV). Quid igitur mireris, si Heraclides Ponticus, ut Aristoxenus Musicus (cf. Laërt. Diog. V, 92) affirmavit, tragoedias a se compositas nomine Thespidis praenotasse dicitur? Quamquam Euripidi porro Rhesum fabulam esse subditam nunc omnes fere consentiunt (cf. Bernhardyi hist. litt. gr. [3] II, 2, p. 484 sqq.), tamen eam Euripidis esse in didascaliis indicatum erat atque eandem, quam nos habemus, Dicaearchi temporibus homines manibus tenuisse ideo putandum est, quia argumentum a Dicaearcho confectum scriptor Rhesu hypothesis, qui id laudavit (cf. Dindorfi poët. scaen. gr. fasc. III p. 1 num. II), fabulae nunc servatae congruum duxit.

Mercaturam vero librorum imprimis feracem fuisse litterariae fraudis et antiquitus per bibliopolas numerum „*ψευδεπιγράφων*“ voluminum auctum esse recte statuit Meierus l. l. p. 84. Dedit testimonium gravissimum Aristoteles apud Dionysium Halicarnassensem de Isocrat. iud. c. 18 p. 576 R. (Arist. Berol. p. 1500b): „*δέσμας πάνυ πολλὰς*, inquit Dionysius, *δικανικῶν λόγων Ἰσοκρατείων περιφέρεσθαί φησιν ὑπὸ βιβλιοπωλῶν Ἀριστοτέλης.*“ Contra orationem iudicialem nullam Aphareus Isocratis privignus, Cephisodorus Isocratis auditor maxime germanus paucas ab hoc oratore scriptas esse contenderunt. Quanto igitur studio apud Graecos, priusquam Ptolemaei libros undique coemere inceperunt,

ars libros adulterandi exercita sit, perspicuum est. At cum Alexandriae neque ulla preti cura neque censura adhibita volumina coacervarentur, illam summo opere adiutam atque hanc in urbem librorum falsorum copiam permagnam esse delatam ut nos quidem credamus, veterum testimoniis opus non est (cf. notissima verba Galeni, quae descripta habet Ritschelius l. l. p. 19). Adeo vero cum aliorum scriptorum tum vel maxime Aristotelis libris fraus adhibebatur (cf. schol. Arist. Berol. p. 28a), ut teste Ammonio ad Arist. Categ. fol. 3a ex Analyticon libris quadraginta, quae in bibliotheca Alexandrina exstabant, quattuor tantum essent genuini, ex duobus Categorion unus. Hoc autem studium fallendi operaque supponendi quantopere postea in ipsa Alexandria animis placuerit et cultum sit, nemo est qui ignoret.

Georgius Steffen de vita sua.

Natus sum Dresdae anno MDCCCL die XX mens. Septembr. patre Adolfo, quem mortem obisse semper mihi erit deplorandum, matre Henrietta e gente Grossmann. Fidei adscriptus sum evangelicae. Postquam inde ab anno LXV h. s. scholam provincialem Misenensem per tres annos idemque per spatium gymnasium, quod est Dresdae ad aedem S. Crucis, frequentavi, anno LXXI h. s. in academiam Lipsiensem transmigravi. Aestatem a. h. s. LXXIV Berolini, ubi scholis interfui Geigeri Mommseni Nitzschi Wattenbachi, commoratus sum. Lipsiae per VIII semestria studiis philologicis et historicis deditus docentes audivi viros doctissimos Curtium Drobischium Ecksteinium Gardthausenium Langium Overbeckium Ritschelium Roscherum Struempellium Voigtium Wuttkium Zarnckium. Praeterea societatum, quas Langius Lipsius Ritschelius Voigtius Wuttkius moderabantur, socius fui atque exercitationes proseminari seminarique philologici nec non paedagogici seminari Ecksteiniani frequentavi. Viris his omnibus summo opere de me meritis imprimisque Georgio Voigtio qui studia mea summa cum benevolentia fovit, gratias quam maximas et nunc ago et habebo semper.